



# **Specimen historico-theologicum Petri Datheni vitam exhibens : accedit brevis de ejus scriptis, indole ac meritis disquisitio**

<https://hdl.handle.net/1874/301496>

SPECIMEN HISTORICO-THEOLOGICUM  
P E T R I D A T H E N I  
V I T A M

EXHIBENS;

ACCREDIT BREVIS DE EJUS SCRIPTIS, INDOLE  
AC MERITIS DISQUISITIO.

THE HISTORY OF THE  
CITY OF BOSTON  
FROM THE FIRST SETTLEMENT  
TO THE PRESENT TIME  
BY NATHANIEL BENTLEY

IN TWO VOLUMES  
VOL. I.

SPECIMEN HISTORICO-THEOLOGICUM  
PETRI DATHENI  
VITAM

EXHIBENS

ACCEDIT BREVIS DE EJUS SCRIPTIS, INDOLE  
AC MERITIS DISQUISITIO.

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

PETRI HARTING,

MED., CHIR. ET ART. OBST. DOCT. ET PROF. ORD.,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS THEOLOGICAE DECRETO,

*Pro Gradu Doctoratus*

SUMMISQUE IN

THEOLOGIA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTET

HUBERTUS TER HAAR,

Vlaardingensis.

A. D. XXVI M. JUNII ANNI MDCCCLVIII, HORA I.

Trajecti ad Rhenum,

APUD J. D. NOLET ET FILIUM.

MDCCCLVIII.



REPRODUCTION OF THE ORIGINAL

PETRI DATHENIA

VITAM

1875

AGROPHI MIVIN DE LUIS SCOTIA, INDIA  
AC MIVINIS LINDIATO

1875

AMERICAN RUMOR RUMOR

THE AMERICAN RUMOR RUMOR

PETRI HARTING

REPRODUCTION OF THE ORIGINAL

REPRODUCTION OF THE ORIGINAL

REPRODUCTION OF THE ORIGINAL

REPRODUCTION OF THE ORIGINAL

REPRODUCTION OF THE ORIGINAL

REPRODUCTION OF THE ORIGINAL

REPRODUCTION OF THE ORIGINAL

REPRODUCTION OF THE ORIGINAL

REPRODUCTION OF THE ORIGINAL

REPRODUCTION OF THE ORIGINAL

REPRODUCTION OF THE ORIGINAL

REPRODUCTION OF THE ORIGINAL

TYPIS MANDAVERUNT KEMINK ET FILIUM.

PATRI OPTIMO CARISSIMO

SACRUM.

F. L. OTTINO CARISIMO

## PRAEFATIO.

Quem ad summos in Theologia honores capessendos conscripsi libellum, tu, Benevole Lector, benigne recipias! Multa labori huic juvenili inhaerere vitia ac menda nec ab omni parte eum esse absolutum, penitus persentio. Sed spatium Academicum longum ne longius pertraherem, illos studiorum meorum fructus nunc jam expromere coactus sum; ne omnino historiae amori, cui jam satis me addictum profiteor, magis quam par est, indulgere videar. Hoc bene teneas rogo, me minime hocce argumentum ele- gisse, quia hunc virum, partes quod attinet, quas in nostra Ecclesia egit, ab omni parte laudandum vel imitandum esse existimaverim. Eo magis vero delectatus sum histo- riae qua vixit periodo, ipsiusque exemplum nonnulla prae- cepta continere mihi visum est, nostris imprimis diebus, haud contemnenda. Quamquam hic labor satis difficilis subinde taedium mihi peperit vel juveniles meas vires su- perare visus est; quamquam meae indagations non sem- per illos, quos mihi optaveram, extulerunt fructus; nun- quam tamen impensi atque assidui laboris, neque itineris, varias in Belgio Bibliothecas visitandi caussa suscepti, me poenitebit. Non solum, quia hac instituenda disqui- sitione difficilem studiorum historicorum methodum, ali- quantulo melius didicisse mihi videor, sed etiam, quod



non ultimo loco habendum est, quia ingentem disciplinae historicae campum pervaganti, plus semel grata mihi fuit occasio experiundi, quali quantaque cum humanitate manum tironi porrigere vellent historicae disciplinae antesignani.

Grato animo hic recordor virorum clarissimorum et spectatissimorum, TYDEMAN, VAN VLOTEN, BAKHUYZEN VAN DEN BRINK, VISSCHER et instar omnium H. Q. JANSSEN, qui in patria; RAHLENBECK, PRUDENS VAN DUYSE, SNELLAERT, ALTMAYER, qui in Belgio mihi scribenti officiose opulati sunt.

Manuscripti, cujus p. 48 mentionem injeci, inspiciendi mihi copiam fecit Ven. H. Q. JANSSEN. Manuscriptum, quod p. 59. legitur, debetur indagationi viri cl. ALTMAYERI, Bruvellensis, qui illud cl. VAN VLOTEN dono dedit. Hujus autem erga me benevolentiam non laudare non possum, qui mihi non tantum illud inspiciendi sed etiam dissertationi meae inserendi facultatem concessit. De ceteris M. M. S. S. in ipso specimine egi.

Si autem mihi incumbebat officium publice commemorandi, quotquot et per totum vitae Academicae curriculum, et praesertim hocce in specimine conscribendo meis studiis exstiterint fautores ac patroni: quis inter illos, omnes honorificos viros, priorem ac digniorem occuparet locum quam tu, mi pater carissime! Inde a teneris enim me dulci prosecutus es amore! Suavibus ac amoenis vinculis me tibi adstrinxisti, qui et patris et matris vicem erga me occupasti, dira cum sors tibi dilectissimam uxorem, teneram mihi matrem maturius eheu! eripuisset. Piam ejus memoriam sincera sanctaque persequi veneratione nunquam desinam. Quot quantaque paternae tuae erga me amoris documenta atque anxiae curae dedisti, quum parvulum puerum in viam virtutis ducere, juvenis vestigia hac in via pressu facere, animum ad

*Dei Christique amorem informare, ingenium scientiae dotibus ornare atque excolere, indefessa sollicitudine nunquam non studuisti. Nec in vita Academica mihi meisque studiis unquam defuisti: auctoritate et consilio me fulsisti. Et tandem quum mihi specimen Academicum esset conscribendum, Dissertationis argumentum mihi suppeditasti, ac prae aliis meum in auxilium prima in acie tu stetisti.*

*Te praeceptore usus sum et nunc promotoris aestumatissimi munere functurus es! Quae omnia quum mente mea revolvo, quaenam et quantae tibi agenda sint gratiae, quae tali amore et favore dignae essent, nec nunc verbis eloqui possum, nec unquam in posterum pro merito valebo. D. O. M. me piùm erga te reddat filium, te seruet incolumem, conjugis valitudinem restituat, vires tibi suppeditet et adaugeat ad difficile, quod tibi incumbit officium rite fungendum, placidamque tibi reservet senectutem, intimo ex animo pie precor!*

*Vos qui cum in Scholu Illustri Amstelodamensi, tum in hacce Academia praeceptores mihi fuistis V. Cl. Cl. VETH, BOOT, BEYERMAN, MOLL et vos praesertim Cl. BOUMAN et VINKE, patris mei collegae aestumatissimi et conjunctissimi, qui et de filio plus uno nomine bene estis meriti, accipere velitis sinceras gratias, quas pro vestra institutione, benevolentia atque humanitate vobis omnibus debeo!*

*Tibi Cl. BOUMANNE! rude donato dulci quiete, quae tibi sane haud otiosa sed fructuosa erit quies, frui contingat. Te Cl. VINKE! post cladem domesticam Pater coelestis ita subleuet ac sustentet, ut et tibi eandam metam feliciter attingere largiatur!*

*Nec jam oblivioni dedi, quod ne unquam faciam spero, quae tibi debeo, vir doctissime, P. EPKEMA! Quo ulterius in juvenili aetate proventus sum, quo ulterius meis in studiis progressus feci, eo certior mihi facta est*



*persuasio, quantum mihi valuerit tua institutio. Doctos non tantum discipulos reddere sed etiam ad viros eos instituere, eosque boni verique studio imbuere, semper conaris. Quod ut tibi e voto cedat Deus tibi largiatur, tanquam honorificam, germani doctoris Coronam! Provectiori etiam aetate juvenilem illum quo flagras scientiarum amorem et ardorem, tibi servet et adaugeat D. O. M.*

*Nec te praetermittere mihi licet Vir. Doct. et magnopere venerande NICOLAE BEETS, qui per triennium insigni quae te ornat humanitate, tuam in domum me recepisti, ubi privatae tuae colloquutionis carpere fructus mihi inter paucos fuit concessum. Luctum quo afflictus es domesticum Deus in meliorem vertat partem, et coetus tuus suo lenire amore nunquam desinat.*

*Quotquot denique et in patria et extra patriam, praesertim in his meis studiis vestrum auxilium mihi denegare noluitis, humanitatis vestrae memoriam me semper retenturum esse persuasum vobis habeatis!*

*Amici! qui necum tot horas studiis gaudio intermixtis dicatas transegistis, vos, qui vera fidaque amicitia me persequi non desiistis, vos omnes amice compello et obtestor, quod non sine gravi animi commotione recordor, quot jam e parvo sed dulci nostro amicorum consortio saevum trajecerint mare, et remotissimis in oris nunc versentur; quot vestrum brevi forsan, dira necessitas a me se junctura sit. Quotquot vel in patria, vel in tropicis versamini regionibus, Valetate, meique estote memores!*

Scripsi Traj. ad Rhen.,  
d. XII a. Kal. Jul. 1858.

H. T. H.

CONSPECTUS.



Pag.  
PRAEMONENDA . . . . . 1.

SECTIO PRIOR.

DATHENI VITA ET FATA.

§ 1. Introductio . . . . . 9.  
§ 2. De DATHENO adolescente eodemque exule . . . . 13.  
§ 3. De DATHENO in patriam reduce . . . . . 28.  
§ 4. De DATHENI in Germania fatis . . . . . 49.  
§ 5. De DATHENO Arausiaci administro . . . . . 57.  
§ 6. De DATHENO pacis in Germania promotore . . . 62.  
§ 7. De iis, quae DATHENUS, in patriam a<sup>o</sup> 1578 redux,  
cum in Ecclesiae Reformatae Belgicae commodum, tum  
in ejus detrimentum perfecit . . . . . 67.  
§ 8. De DATHENI cum GULLIELMO Principe rixis . . . 85.  
§ 9. De DATHENO postrema vice in patria commorante . 90.  
§ 10. De DATHENI in *Holsatia* fatis ac morte *Elbingiae*. . 100.

## SECTIO ALTERA.

## DE DATHENI SCRIPTIS.

- § 1. De DATHENI psalmorum versione . . . . . 108.
- § 2. De DATHENI Catecheseos Palatinae et Liturgiae ver-  
sione . . . . . 124.
- § 3. De caeteris DATHENI scriptis . . . . . 129.
- § 4. De DATHENI dogmaticis opinionibus . . . . . 133.

## EPICRISIS.

- De DATHENI indole ac meritis erga Ecclesiam Reformatam  
rite dijudicandis . . . . . 146.



---

## PRAEMONENDA.

---

Antequam ipsum argumentum, quod nobis tractandum elegimus, aggrediamur, pauca praemonenda esse duximus, cum de ejus gravitate ac pondere, tum de fontibus, e quibus nobis hauriendum fuerit.

Quisquis Ecclesiae Neêrlandicae historiae haud prorsus ignarus est, multa quae sacrorum instaurationem in nostra patria spectant, nondum satis plana esse ac aperta vel dilucide esse exposita, facile perspiciet ac lubenter fatebitur. Non tantum vitam ac fata quod attinet eorum, qui olim in Ecclesia nostra condenda primarias egerint partes, historia manca ac imperfecta est dicenda multisque lacunis laborat; sed etiam de reformationis, quam ajunt, in patria nostra primordiis, de Calvinismi propagatione et triumpho, quem hic de Lutheranismò tandem reportaverit, de Belgicorum exsulum coetibus, de necessitudine, quae hos inter ac patriae coetus intercesserit, de vi quam in res nostras Ecclesiasticas peregrini exseruerint — ut alia mitta-

mus, multa adhuc indaganda esse, omnes, penes quos hac de re iudicium est, norunt et concedunt.

Uti autem illud dolemus, sic gaudemus recentissimo tempore permultos viros, cum doctrinae copia tum iudicii acumine praeclaros, in antiquis et hucusque reconditis Belgicae historiae thesauris perscrutandis singularem quandam collocasse operam. Mirum sane non est historiographos nostros Ecclesiasticos nondum cuncta, quae illi viri suppeditaverint, in usum suum adhibuisse; at sperare licet fore ut multorum conjuncto ac indefesso labore via sternatur historiae conscribendae, quae ad perfectionem propius accedat. Qui scopus ut attingatur biographiae vel monographiae, in quibus vita, fata et res gestae praecipuorum virorum, qui tunc temporis in Ecclesiae nostrae scenam prodierint, accurate exponantur, valde proderunt.

Quocirca et nos, specimen Historico-Theologicum conscripturi, talem in nos suscepimus provinciam, sperantes fore ut et nostro labore hic illic aliquantulum lucis historiae adspargere nobis contingat. PETRI DATHENI historiam accuratius investigare conati sumus 1°. quia vixit illo tempore, quo Ecclesia nostra recens condita vel adhuc condenda peculiarem regiminis sui induit formam, cujus temporis indolem nisi penitus perspectam habeamus, multa, quin etiam plurima in historia Ecclesiae nostrae obscura remaneant necesse est. 2°. Nec sane otiosus rerum spectator fuit DATHENUS, at in condenda ac stabilienda Ecclesia suas i. e. haud contemnendas egit partes. 3°. Multa in DATHENI vita occurrunt, quae adhuc illustratione indigent atque accuratorem etiam indagacionem requirunt. 4°. Non exstat



DATHENI vitae factorumque expositio, quae omnia historica documenta, quorum hîc est usus, ea qua par est, cura ac diligentia consuluit. 5°. Judicia, quae de illo sunt prolata, oppido diversa sunt; adeo ut alii summis eum ad coelum usque laudibus extollant; alii nomen ejus atro veluti carbone in historia notari velint. 6°. Denique DATHENUS agitatae, qua vixit, aetatis veluti typum ac imaginem referre nobis visus est.

Ejusmodi tamen laborem multis magnisque premi difficultatibus quis non videt!

Partim hae difficultates oriuntur e turbulenti, quo vixit, temporis indole; partim ex ipsius DATHENI vita agitata, variisque in regionibus commoratione; partim e fontium defectu vel haud prorsus indubitata fide.

Incredibile enim dictu est, quantopere scriptores iudicium suum de DATHENO enunciantes, partium studio indulserint. Non tantum Pontificii in apostatam conviciis suis acriter invehuntur, sed inter Protestantes quoque admodum paucos reperies, qui absque omni studio ac ira iudicasse censendi sint. Nimirum! dum Orthodoxae Ecclesiae propugnatores eximiis eum efferrunt laudibus, contra auctores qui a Remonstrantium partibus steterunt, ex infaustis de illo sparsis rumoribus cupidius quam verius ejus contexuerunt historiam. Praesertim ab eo tempore inde, quo obsoleta *Datheniana* Psalmorum versio, hominibus ingenio excultis fastidium pareret, DATHENI nomen cum quadam irrisione et contemptu ab omnibus artium disciplinarumque peritis nuncupari consuevit.

Benigniores quidem de DATHENO sententiam nostro tempore praesertim in Belgio edidere historiographi;



at hi, ex eo quod DATHENUS in Flandria natus sit, gloriolam qualemcunque sectantes, politicae tantum libertatis propugnatorem in illo cernunt et laudant; merita vero ejus erga Ecclesiam reformatam prorsus fere neglexerunt vel vilipenderunt. Magnam igitur cautionem in horum fontium usu adhibendam esse, quisque, qui cum religiosae tum politicae Belgii nostris temporibus conditionis rationem habuerit, facile intelliget.

Fontes, e quibus DATHENI historia hauriri potest, multi sunt, si numerum eorum spectas. Fere omnes enim, qui de patriae nostrae conditione politica et religiosa, PHILIPPO secundo regnante, egerunt, DATHENI mentionem faciunt. Historiographi quoque qui de rebus Germanicis, praesertim in Palatinatu, scripsere, quendam praebent usum. Vix autem dici potest quot scriptores scribendo praecessores suos presse secuti vel imitati sint. Praeterea, qui inter primarios censi solent fontes, epistolae nempe, DATHENI manu conscriptae, fere desunt. Praeter fragmenta a BRANDTIO in historia sua reformationis <sup>1)</sup> communicata, inveniuntur talia DATHENI documenta apud MEINERSIUM <sup>2)</sup> atque in *Archivis* a KISTIO et ROYARDSIO editis.

Quo magis tamen ejusmodi subsidia nos deficient, eo pluris nobis faciendum est illud, quod primum a 'S GRAVEZANDIO <sup>3)</sup> editum est, documentum, quod apo-

---

1) *Historie der Reformatie*, Tom I. pag. 640.

2) EDUARD MEINERS, *Oost-Frieslands kerkelijke geschiedenis*, Tom I. pag. 377—383.

3) *Twee honderdjarige gedachtenis van de eerste synode der Nederlandsche Kerken onder het kruis*. Middelburg 1769 pag. 152—170.

logiam continet a DATHENO confectam ad incriminationes in se allatas refutandas, quae sub quaestionum forma in carcere Rhenotrajectino ei objectae fuerunt. Multum lucis haud uno nomine nobis affert hoc documentum in fatis DATHENI exponendis. Difficile tamen videtur definire quaenam auctoritas huic apologiae sit tribuenda. Ab altera enim parte tanquam testimonium pro sua ipsius causa admodum caute adhibenda est; ab altera vero parte sigillum quoddam veritatis ei quasi inhaerere nemo, qui illud oculis inspexerit, inficiabitur. Praeterea animadvertendum est DATHENI inimicos post responsiones ab ipso editas obticuisse, quod haud dubie pugnat pro ejus fide historica.

Caetera DATHENI scripta fere nihil de ejus fatis continent. Quod autem contendunt plerique, DATHENUM itinerarium quoddam conscripsisse, in quo sua propria, et exsulum ex Anglia, fata exposuisse dicitur, hanc errori superstructam esse sententiam suo loco in hoc specimine probare conabimur. Ad secundarios sane fontes referenda sunt DATHENI aequalium de eo ejusque historia testimonia, qualia inveniuntur in Documentis familiae Arausiacaе domesticis, quae edidit vir consulentissimus GROEN VAN PRINSTERER<sup>1)</sup>, cujus opus etiam quoad DATHENUM summi est pretii. Tale subsidium nobis praebuit quoque cl. VAN VLOTEN nonnulla DATHENUM spectantia adhuc incognita edendo<sup>2)</sup>. Caeterum

1) *Archives de la maison d'Orange-Nassau.*

2) *Nederlands opstand tegen Spanje.* Haarlem 1858. Tom II. pag. 229—237.



et Epistolarum collectiones, *Epist. e. g. Selectae Belgicae*, ut alias mittamus, in censum veniunt.

Longius est denique omnium historiographorum qui de DATHENO egerunt nomina hîc enumerare.

Iis auctoribus, qui in omnium omnino sunt manibus ut BOR, HOOFT, BRANDT, UITENBOGAERT, TRIGLAND, WAGENAAR, BILDERDIJK, alios, silentio praetermissis, laudavisse sufficiat:

EVERARD VAN REYD, *Historie der Nederlandscher oorlogen, begin ende voortganck*. Leenwarden 1650. quem plerique de DATHENO scriptores secuti sunt.

NIC. BURGUNDII *Hist. Belgica*. Ingolstadt 1633.

Inter *chronica* commemoratione digna sunt:

BERNARDUS DE JONGE, *Ghendtsche Geschiedenissen*. Gend 1752.

PH. DE KEMPENAERE, *Vlaemsche Chronyk*. Gend 1839.

*Memorieboek der stad Gent*. Gent 1856.

M. SCHOOCKIUS, *Liber de bonis, vulgo, Ecclesiasticis dictis, atque speciatim de Canonicis Ultrajectinis*. Groningae 1651.

W. TE WATER, *Geschiedenis der Hervormde kerk te Gent*. Utrecht 1756.

J. W. TE WATER, *Kort verhaal der Reformatie in Zeeland in de zestiende eeuw*. Middelburg 1766.

HENR. ALTINGIUS, *de Ecclesiis Palatinis*. Groningae 1728.

GERDES, *Scrinium Antiquarium*. Groningae et Bremae 1756.

WILH. BROES in operibus passim.

BEAUFORT, *Het leven van WILLEM I*. Leijden 1732.

YPEY en DERMOUT, *Geschiedenis der Nederl. Herv. kerk*. Breda 1819.

M. J. V. GOETHALS, *Lectures relatives à l'histoire des sciences, des arts, des lettres, des mœurs et de la politique en Belgique*. Bruxelles 1838.

TH<sup>s</sup>. BLOMMAERT, *Politieke Balladen, Refereinen, Liederen en spotgedichten der XVI<sup>e</sup> eeuw*. Gend 1843 <sup>1)</sup>.

GAILLARD, *De l'influence de la Belgique sur les Provinces Unies. Mémoires Académiques*.

HEPPE, *Geschichte des Deutschen Protestantismus*. Marburg 1852.

MAX. GOEBEL, *Geschichte des Christlichen Lebens in der rheinisch-westphalische evangelische kirche*. Coblenz 1852.

H. Q. JANSSEN, *De kerkhervorming te Brugge*. Rotterdam 1856.

M. L. VAN DEVENTER, *Het jaar 1566*. 's Gravenhage 1856.

*Zeeland, Jaarboekje voor 1852*.

DIEGERICK, *Petrus Dathenus, notes sur le lieu de sa naissance* <sup>2)</sup>.

Scriptorum DATHENI Lithurgicorum fata cognoscuntur e:

IS. LE LONG in operibus passim.

J. ENS, *Kort historisch berigt aangaande de publieke geschriften*, etc. Zwolle 1733.

---

1) In operibus societatis: *Maatschappij der Vlaemsche Bibliophilen*.

2) *Annales de la société d'émulation de Bruges*. Tom XI. 2<sup>e</sup> série.

JOS. VAN YPEREN, *Kerkelijke Historie van het Psalmgezag*, Amsterdam 1777.

J. A. M. MENSINGA, *Over de Lithurgische schriften der Ned. Herv. Kerk* <sup>1)</sup>.

J. HERINGA EZ., *Kerkelijke Raadvrager en Raadgever*.

F. A. SNELLAERT, *Schets eener Geschiedenis der Nederlandsche Letterkunde*. Gent 1855.

Desumpta sunt denique nonnulla e M. S. S.

Nonnullos libros inspiciendi copiam nobis defuisse, ex animo dolemus.

Caeteros auctores, quorum scriptis usi sumus, in ipso specimine citabimus.

---

1) Operibus insertum *Societatis Haganae* a<sup>1</sup> 1852.



---

## SECTIO PRIMA.

DATHENI VITA ET FATA.

---

### § 1.

#### *Introductio.*

**M**agna illa rerum conversio quae, ineunte saeculo sedecimo, in sacris exstitit, quantopere et in patria nostra vim suam exseruerit, testis nobis est historia. Neêrlandiae regionum incolae, satis lauta conditione fruentes, commercii vinculo cum omnibus fere gentibus Europaeis arete conjuncti, ac pro germanica sua indole seriora mente volventes, cum libertatis, tum religionis amantissimi, haud sine magna animi commotione audiverant, quidquid de LUTHERO, strenuo errorum ac abusu sui temporis oppugnatore, famâ Ecclesiae depravatae reformandae studium excitaverat. Multum ad illud studium alendum contulerunt cum



ERASMI joci ac sales tum LUTHERI ac MELANCHTHONIS scripta, a mercatoribus in nostras regiones introducta; codicis sacri versio vernacula, quae avide legebatur; ac imprimis primorum testium veritatis Bruxellis martyrium, a LUTHERO carmine celebratum. Ab hoc inde tempore LUTHERI nomen et carmina in omnium ore volitabant, ac in dies increvit numerus eorum, qui clam vel palam reformationis causae nomen darent.

Minime tamen omnes, quotquot reformationis erant studiosi — licet initio communi hoc nomine comprehenderentur — LUTHERANI, strictiore sensu sic dicti, fuerunt. Permulti inter illos multo magis a ZWINGLIJ steterunt partibus, qui tamen postea, increcente CALVINI in rebus nostris sacris auctoritate, ab hoc reformatore, Calvinistarum nomen mutuati sunt. Insignis quoque numerus fuit Anabaptistarum, quos Pontificii et omnes omnino reformati pari fere odio prosequebantur, quippe qui fanatico studio ducti in seditionem proni haberentur. Ac sane, licet multi inter illos pacificae indolis fuerint homines, quos nequaquam cum turbatoris JOHANNIS A LEYDA asseclis confundendos censemus, negari tamen nequit, ubicumque anabaptistae prodirent, turbas ac motus exstitisse; ac vix dici potest quantum, illa seditionis suspicio, sive vera sive falsa, reformationis causae in nostra patria nocuerit.

Monente BURGUNDIO: „In Flandria proximisque Galliae regionibus Calvinistae praecelebant; vicina Germanis invaserant Lutherani; Hollandiam et Zeelandiam Anabaptistae”<sup>1)</sup>.

---

1) *Hist. Belgica* p. 156.

Calvinismum in Flandria imprimis sedem suam habuisse non est quod miremur. Multi enim Euangelii praecones e Gallia ac Helvetia illuc venerant, qui Antverpiae sedem figentes totam peragrarunt provinciam. Magna fuit olim vis quam etiam in regiones septentrionales exercuit Flandria. Non tantum turbulentis illis temporibus, quum prima Ecclesiae nostrae jacerentur fundamenta, sed etiam postea, quum sub Hispanici regis potestatem redirent provinciae meridionales, antistites inde profugi Calvinismum et hinc alere ac propagare studuerunt. Nec frustra! — Inter ipsos denique Romano-Catholicos reperiebantur haud pauci qui, licet ERASMI vestigiis insistentes, Ecclesiae adhaerent, Ecclesiam tamen purgandam et in capite ac membris plane instaurandam esse putarent. Et non tantum laici sed etiam inter clericos nonnulli talia menteolvebant. Mirum igitur non est CAROLUM V<sup>m</sup> Imperatorem, miseram illam, ut censuit, matris Ecclesiae conditionem in ditissimis Belgicis suis regionibus lugentem, ac deperditum fere Ecclesiae honorem propugnare ac vindicare suum esse existimantem, omnibus suis viribus id egisse, ut ingravescenti morbo remedium afferret, vel potius haereseos malum radicitus extirparet.

Inde ab anno 1521 singulis fere annis ab Imperatore promulgabantur decreta, quorum pleraque sanguine potius quam atramento scripta esse videbantur. Millia jam hominum flammis vel gladio perierant. Vel sic tamen populus conticuit nec desiit principi suo, quem admodum dilexit, vectigalia tribuere. Quae longanimitas explicanda videtur partim e populi Belgici quieta



indole rebellionem abhorrente; partim ex eo quod Ecclesiae reformatae membra disjecta nondum in unum veluti corpus essent composita, ita ut ipsi novae religionis asseclae numerum eorum, qui secum facerent, plane ignorarent; partim e spe vana ac falsa, quam multi ante Concilii Tridentini decreta promulgata, animo fovebant, fore ut diu exspectata ac desiderata Reformatio tandem ex ipso veluti Ecclesiae sinu nasceretur; partim denique, quod mandata, quae Imperator Inquisitoribus in Belgio dedit, strictioribus admodum limitibus circumscripta fuere quam ista, quibus Inquisitio utebatur Hispanica. Quum tamen anno 1550 novum ederetur ab Imperatore decretum, quod, si ratum fieret, horrendae istius Hispanicae Inquisitionis tribunale liberis harum regionum minari incolis visum est, totus agitabatur populus. Veluti spectro perterritus surrexit leo belgicus! Edicti promulgationi fortiter sese opposuere magistratus — mercatores officinas clauderant et e patria migrare parati erant. Murmuratio in diem increvit. Tandem MARIA gubernatrix ab Imperatore fratre impetravit levem edicti moderationem, ita ut nomen *Inquisitionis* tolleretur. Quies paulatim inter cives rediit. Multi tamen reformationi addicti, graviora metuentes a „judicibus” illis „spiritualibus” patriam relinquere maluerunt, quam tristem metuque oppressam vitam agere, pyram vel patibulum extimescentes.

*Vesaliam, Emdam at Londinum* imprimis se contulerunt, qui fidei causa exstiterunt exsules; pro magna parte natione Flandri.

Hae in urbe, aptissimo ad exsulandum loco, EDU-

ARDO Sexto, Juvene optimae spei, immatura morte eheu frustratae, adhuc regnante, coetus peregrinorum erat conditus qui, ex ipsius regis decreto, patrono ac duce JOHANNE A LASCO, satis bene ordinatus et constitutus erat.

In aliis etiam Angliae regionibus Belgici exoriebantur eodem tempore coetus, qui sensim ab exsulantibus ex oppressa patria adacti, arcto necessitudinis ac cognationis vinculo nostrae patriae Ecclesiis conjuncti fuere.

Exulum catervae, quae perscutionis periculo cedens A<sup>o</sup>. 1550 in Angliam e Flandria profecta est, interfuit quoque juvenis, ipso pubertatis flore, octodecim vel quod excedit annorum, qui magnas posthac in patriae Ecclesia ageret partes: PETRUS ille DATHENUS, cujus vitam ac fata nunc enarrabimus.

§ 2.

*De Datheno adolescente eodemque exule.*

PETRUS DATHENUS, sive DATENUS, P<sup>i</sup> filius, anno 1531, vel 32<sup>1)</sup>, nostrae aerae in Flandriae oppidulo Cassel natus est.

Et de ejus nomine et de loco ejus natali variae editae sunt conjecturae. Alii nomen ejus „*d' Athenus*” scribentes, ab illustri Graecorum olim artium atque disciplinarum sede<sup>2)</sup> illud derivant, insignem DATHENI

1) Hoc effici licet ex art. 1 et 2 ejus apologiae. Cf 's GRAVEZANDE *Tweehonderdjarige gedachtenis*, pag. 153.

2) Cf. W. TE WATER, *Lof en laster van P. DATHENUS*, histo-



doctrinam hoc nomine indicari putantes. Alii DATHENO non ita faventes a DATHANO, rebelli isto in Vetere Foedere nomen traxisse DATHENUM maluerunt <sup>1)</sup>. Alii *Montanum* <sup>2)</sup>, alii *Daets*, *Daethen* sive *Daeten* <sup>3)</sup> flandricum fuisse ejus familiae nomen conjecerunt. Postremam tantum conjecturam veram esse probavit praecedente anno in Belgio vir doctus DIEGERICK <sup>4)</sup>, qui etiam quaestionem de DATHENI loco natali diremit probando, non *Poperingae* vel *Yprae*, ut plerique statuunt, eum esse natum sed in oppidulo, quod hodie dicitur *Mont-Cassel*, in Flandriae parte Galliae proxime adjacente <sup>5)</sup>.

De primis DATHENI vitae annis prorsus silentium tenet historia. Adhuc puer vel adolescens *Carmelitarum* monasterium Yprense intrasse videtur, eum jam octodecim vel undeviginti ad summum annos natus, reformationis causae addictus, cuculum eiecisset <sup>6)</sup> atque Euan-

---

riac illius Gandavensis Ecclesiae adjectum; GROEN VAN PRINSTERER, *Archives de la maison d'Orange-Nassau* Tom IV. pag. 219.

1) Cf. TE WATER, l. l.

2) Cf. GR. VAN PRINSTERER, l. l.

3) Cf. SNELLAERT, *Schets eener geschiedenis der Vlaemsche Letterkunde*, Gent 1855, pag. 94.

4) DIEGERICI disquisitio invenitur in: *Annales de la société d'Emulation de Bruges*. Tom XI. 2<sup>e</sup> série. sub titulo: PETRUS DATHENUS notes sur le lieu de sa naissance.

5) Jam SNELLAERTIUS conjecerat l. l. p. 95. DATHENUM nomen assumsisse *Montani*, e loco natali *Mont-Cassel*.

6) Etiam de ordine, cui se addixerit DATHENUS, variae diu fuere sententiae. Alii Dominicanum alii Franciscanum monachum eum

gelium renovatum, „ingentibus circumdatus periculis,” primum *Contraci*<sup>1)</sup>, fortasse etiam *Poperingiae*<sup>2)</sup>, annu-  
nciaverit. Incremento tamen in diem persecutione,  
coactus fuit apostata huic valedicere muneri et, typo-  
graphica exercenda arte, sibi quaestum quotidianum  
quaerere<sup>3)</sup>.

Minime vero in fatis erat, ut DATHENUS placido illo  
modo vitam suam perageret. Haud diu post, e Flan-  
dria exules, qui in Anglia asylum invenerant, eum ad  
Evangelium lingua sua vernacula fratribus nunciandum  
evocarunt<sup>4)</sup>. Nec frustra, ut vidimus. Quoniam vero  
illa exsulum Ecclesia fuerit, *Londinensis*<sup>5)</sup> vel *Sand-  
vicensis* vel *Nordvicensis*, quae DATHENUM ad se invi-  
taverit, de his certi nihil memorat historia.

In Anglia degens uxorem duxit DATHENUS Claris-  
saram olim regulis adscriptam, cujus nomen aequae ac

---

vocabant. Carmelitam cum fuisse probavit idem DIEGERICK l. l.  
atque sustulisse videtur GOETHALSII dubitationem, hunc DATHE-  
NUS unquam in monachorum fuerit ordinem receptus.

1) Cf. SCHOOCK, *de canonibus Eccles.* pag. 469.

2) Cf. ALTMAYER, *Notices historiques sur la ville de Poperinghes.*

3) *Apologia Datheni* art. 2. 's GRAVEZANDE l. l. pag. 153.

4) 's GRAVEZANDE pag. 153.

5) Sic 's GRAVEZANDE, alii. Mirus tamen probabile videtur.  
Londinensi enim plures praefuere pastores coetui, uti a LASCO,  
MICRON, DELAENUS, al. Nomen insuper DATHENI haud memoratur  
in UTENHOVII narratione, neque in conspectu pastorum Londi-  
nensium a HAEMSTEDE edito ('s Gr. l. l. p. 171) neque in libro  
nuper edito: *The history of the French, Wallon, Dutch and other  
foreign Protestant refugees settled in England.* London 1854. Cf.  
tamen VAN YPEREN, l. l. Tom II. p. 439 sqq.



caeterorum DATHENI in exsilio fatorum memoriam temporis injuria deleuit<sup>1)</sup>. Neque magis constat quando et quomodo DATHENUS ex Anglia sit profectus. MARIA enim, Romano-Catholicae fidei propugnatrice regnante, quum et ibi persecutio exoriretur, Wallonici et Belgici exsules aliud quaerere asyllum coacti fuere. Primum, JOANNE A LASCO et MARTINO MICRONE ducibus in Daniam transvecti, miserrima experti sunt fata, et Lutheranorum odio atque insidiis undique expulsi, tandem post longa, tempore hiemali, itinera, partim *Em-dae* partim *Francofurti* sedem invenere fixam<sup>2)</sup>.

Sunt qui putent DATHENUM JOANNEM A LASCO eju- que socios comitatum esse<sup>3)</sup> atque eum ipsum fata sua enarrasse in itineraio, quod plerique ei adscripsere recentiores historiographi. Sed neque haec neque illa sententia satis firmo nititur fundamento<sup>4)</sup>. Certa DATHENI vestigia tantum recuperamus Francofurti.

---

1) Cf. JANSSEN, *Gesch. der kerkh. te Brugge*, Tom II in additamentis pag. 286.

2) Vid. UTENHOVE, *Simplex et fidelis narratio de instituta ac demum dissipata Belgarum aliorumque peregrinorum in Anglia Ecclesia, et potissimum, de susceptis postea illius nomine itineribus, quaeque eis in illis evenerant*. Basiliae A°. 1560.

3) 's GRAVEZANDE l. l. pag. 41. Ipse nullam DATHENUS hujus rei fecit mentionem, ubi opportunitas hoc exigere videbatur (Cf. DATHENI opusculum: *Kurze und wahrhaftige erzehlung* etc.) neque in UTENHOVII, qui ipse JOANNEM A LASCO comitatus est, narratione DATHENI nomen occurrit.

4) Qui hoc itinerarium DATHENO attribuerunt 's GRAVEZANDIUM secuti sunt. Cui itinerario titulum dicunt fuisse inscriptum: „*Entschuldigung der verjagten Christen.*“ Totam hoc de opere narrationem, quae inepta conjectura 's GRAVEZANDII nititur, me

Hic loci Londinensis Wallonici coetus exules, duce VALERANDO POLANO, viro nobili e Flandria, a Magistratu, Augustanae confessioni addicto, asylum im-

quidem iudice, evertunt quae sequuntur. Neminem de hocce DATHENI itineralio mentionem fecisse videmus, antequam suam enun-  
ciaverat et promulgaverat 's GRAVEZANDIUS conjecturam (l. l. pag. 43  
in annot.) cf. *Biblioth. Bremensis* cl. III. Fasc. I. pag. 132 sqq.)

Duo scilicet DATHENUM conscripsisse opuscula hic contendit,  
alterum inscriptum: *Kurze und wahrhaftige Erzählung welcher massen  
den Französischen und Niderländischen der wahren Religion halben  
verjagten Christen in der Stadt Francfurt im vier und fünfzigsten  
und etliche folgende jar die öffentliche predig Göttliches worts und  
ausspendung der H. Sacramenten in ihrer sprach verstattet, und  
aus was ursachen ihnen nachmals solches verboten worden ist;*  
alterum *Entschuldigung* etc. 's GRAVEZANDIUS refutare conatur

GULLIELMUM TE WATER, qui in suo de Gandavensi Ecclesia  
scripto unum tantum DATHENI opus affert sub titulo *Entschuldi-  
gung* etc. Prius opus, a 's GRAVEZANDIO tanquam a DATHENO  
confectum, allatum, agit de conditione exsulum in urbe Franco-  
furti; posterius autem, (quod nos unquam existitisse negamus)  
secundum eundem 's GR. nobis traderet fata exsulum, qui ex Anglia  
in Daniam atque Germaniam sese contulerunt. Huic conjecturae  
fortasse ansam dedit LE LONG, (*Kort Hist. Verhaal van den eer-  
sten oorsprong der Ned. Herv. kerken onder 't kruis*) qui quidem  
duos diversos DATHENI operum titulos affert, nequaquam vero  
duo diversa DATHENI opuscula simul cum hisce titulis citare vo-  
luit. Quod abunde patet e comparatione locorum, qui ex uno  
eodemque libello, duobus autem titulis insignito, allati sunt.

Hinc apparebit omnia petita esse ex uno eodemque libello, nempe  
ex eo qui in lucem prodiit sub titulo: *Kurze und wahrhaftige Er-  
zählung* etc. qui titulus nobis longior est quam ut eum toties re-  
petamus. Idem illud verosimiliter impulit LE LONGIUM, ut breviorem  
tantum titulum citaret, postquam semel, perspicuitatis causa, illum



petrauerunt. Templum iis concessum est ad publicum suum cultum exercendum. Paulo post etiam Anglis

---

prolixiorum titulum lectori jam praebuerat. Quae nostra probabilior etiam fiet conjectura inspicientibus librum, cuius longior titulus, in prima pagina expressus est; sequentes contra paginae in fronte gerunt breviorum titulum: *Entschuldigung*, etc.

Accedit, quod non tantum loci a LE LONGIO allati e libro posteriore (B) omnes ad litteram inveniuntur in (A.), qui quidem revera extat: sed etiam J. B. RITTER in suo opere *Evangelisches Denckmal der Stadt Frankfurt a. M.* p. 318. affert e libello quem indicat sub titulo *Entsch.* locum quendam, qui ad litteram reperitur in priore (A.) pag. 55. Denique quaerere licet, cur accuratissimus ille LE LONG, si revera quoddam DATHENI *itinerarium* suum in usum adhibere potuerit, tot adhuc de exulum itineribus ignota nos eclaverit, qui tam pauca de hisce rebus cognita habemus. Sine ullo dubio hic, si DATHENUS tale quid scripsisset, longe plura aut alia nobis narrasset, quam quae nunc, UFFENHOVIUM secutus, nobis tradidit. Quid, quod ejusmodi negligentia nequam cadit in talem cuncta sedulo atque accurate investigantem, qualem LE LONG se praestitit, scriptorem. Concludimus igitur unum tantum DATHENI libellum exstare, at duobus titulis insignitum, quod 's GRAVEZANDIUM, multosque alios, hunc secutos, in errorem duxit.

Ceterum ejusmodi erroris exempla haud rara esse neminem, qui Historiae Ecclesiasticae studium vel de limine salutaverit, fugit vel latet. Instar omnium unum tantum exemplum e certamine medii aevi de *Eucharistia* hic in memoriam vocare lubet. Duos libros *de corpore et sanguine Domini* olim conscriptos ac in lucem editos esse, quorum alter, qui adhuc exstat, RATRAMNUM CORBEJENSEM, alter, qui nunc sit deperditus, JOANNEM SCOTUM ERIGENAM auctorem habuerit, diu firmiter crediderunt Historici, donec accuratam instituta comparatione verborum vel locorum, quae JOANNI SCOTO ERIGENAE tribuebantur, luce clarius appa-



eodem in aedificio eadem fuit copia data. Quumque anno 1555 in patria nostra, persecutio exardesceret, multique e Belgicis exsilibus fratrum in exilio numerum adaugerent, hi quoque, JOHANNES A LASCO patrono ac advocato, hospitium ibi invenerunt, atque eodem ac caeteri loco religionis suae excolendae opportunitatem. MARTINUS MICRON, celebris coetus Londinensis pastor atque liturgus, nunc Nordensis antistes, pro tempore Belgico huicce coetui in religiosis suum praestitit auxilium. Mox tamen, quum ejus gregales dilectissimum suum desiderarent pastorem, Francofurtensi valedixit coetui, qui, annuente JOHANNES A LASCO, DATHENUM accessivit.

Ubinam eo tempore hic degerit incertum est. Fortasse *Emdac*. Haud frustra tamen eum a fratribus suis vocatum esse et tempore hiemali Francofurtum se contulisse ex historia constat<sup>1)</sup>.

Perdificile erat munus, quo nunc hac in urbe fun-

---

reret, eadem prorsus totidem verbis in RATRAMNI libro legi, unde, praeunte PETRO DE MARCA, J. W. LAUF (*Studien und Kritiken*, 1828, fasc. IV. p. 755 sqq.) jure concludit: apud scriptores medii aevi de uno eodemque libro sermonem esse, quem alii RATRAMNO alii (perperam vero) JOANNI SCOTO ERIGENAE tribuerunt. Huic sententiae calculum quoque suum adjecit GIESLERUS, *Lehrbuch der Kirchengeschichte*, t. III. p. II. p. 123 sq. *in notâ*. — Uberius hac de re egimus, ne quis historias nostras perscrutaturus, vanam instituat, ut nos fecimus, inquisitionem ad hunc libellum indagandum.

1) Cf. DATHENI, „*Kurze und Wahrhaftige Erzählung*,” etc. pag. 10. HEPPE, *Geschichte des deutschen protestantismus* pag. 452 sqq. UTENHOVII *simplex et fidelis narratio* etc. pag. 243.

gebatur DATHENUS. Mox enim invidia operarios artiumque peritos exsules inter et acmulantes Francofurtenses cives exoriebatur. Ardentem jam ignem perpetuo aiebant Lutherani antistites qui, instigante furibendo isto WESTPHALO<sup>1)</sup> exsulum doctrinam inprimis de sacra coena Magistratui suspectam reddere conabantur. Huic odio maxime obnoxii fuere Belgae, opulentia atque doctrina caeteris multo inferiores<sup>2)</sup>. Lutheranis et Romano Catholicis alii etiam adversarii accesserunt. Tempore enim celeberrimae illius Francofurtanae Messae cujusvis generis sectarum asseclae in urbe erant congregati, qui contra reformatos in aciem procedere avido cupiebant. Hi ipsi, quod ad externos cultus sacri ritus attinet in diversas abierunt partes<sup>3)</sup>. In quibus omnibus negotiis, DATHENUS solus inimico-

---

1) Idem, qui coelum terramque movere conatus erat, ut miseros ex Anglia exsules, ex urbe *Hamburgiae*, ubi tandem asylum invenisse putaverant, tanquam *Anabaptistae* expulsarentur, (Cf. UTENHOVII *simplex et fidelis narratio*) Francofurtensi Magistratui eos tanquam ipsius Diaboli martyres, latronibus et veneni mixtoribus postponendos, denunciavit. Contra WESTPHALI *epistolas* edidit VALERANDUS POLANUS *Antidotum* suum. (*Bibl. Rheno-traject. Hist. Eccl.* 4<sup>o</sup>. N<sup>o</sup>. 207.)

2) Cf. DATHENI *epistolae* apud: MEINERS *Oost-Frieslands kerckelijke Geschiedenisse*, Tom. I. pag. 379.

*Bibl. Brem.* cl. III. Fasc. I. pag. 238. DATHENUS vocatur „prediger der Wallonischen Gemeine.“ RITTER I. l. *Anglorum* eum habet antistitem. Unam et alteram erroneam esse narrationem probat ipsius DATHENI testimonium, (*Kurze erzehlung* l. l.)

3) Cf. RITTER, *Evangelisches denckmal der Stadt Francfurt a. M.* pag. 318 cum DATHENI *Kurze Erzehlung* pag. 55 et HEPPE I. l. Tom. II. p. 459.



rum tela, in suos gregales emissa, arceret et avertere coactus fuit. Quod gravius fuisse onus juvenilibus adhuc ejus humeris, testantur duae ejus epistolae anno 1557 scriptae<sup>1)</sup>, quibus Consistorium Emdanum adiutorem ut sibi mitteret precatus est. Tot tantisque laboribus se obrui queritur DATHENUS ut munere suo rite perfungi haud diutius valeret, unde igitur et populus, qui praeterea peregrinis in diem magis infestus fiebat, contemptui illud haberet munus. Eandem ob causam Belgis in patria eo tempore commorantibus satisfacere non potuit, qui illum rogaverant, ut uno aliove scripto Ecclesiae Neerlandicae inserviret. Mox tamen ardentem suum calamus arripere DATHENUM coëgit temporum necessitas. Quum enim colloquium Wormatiense eodem anno 1557 habitum, abruptum esset, non tantum Romano-Catholicorum erroris semel accepti tenacitate, sed etiam dissidiis inter Protestantes ipsos, FLACHI ILLYRICI furore exortis<sup>2)</sup>; utraeque partes in acerbissimis scriptis alii aliis culpam imputare conabantur. AVII STAPHYLIQUE scripta, calumniis referta MELANCHTHONEM ipsum ad Protestantium partes tuendas coegerunt<sup>3)</sup>. Etiam DATHENUS reformatae fidei honorem non defendere non potuit, pluresque edidit eosque fervidissimos libellos. Ad AVII STAPHYLIQUE a DATHENO prolata refutationem respondit, nomen suum reticens, LATOMIUS, ipse qui colloquio interfuerat, edita

1) Cf. MEINERS, *Oost-Frislands Kerkelijke Geschiednisse*, Tom I. pag. 377, sqq.

2) Cf. HEPPE, l. l. Tom. I. pag. 157, sqq.

3) Cf. SALICII, *Geschichte der Augsp. Confession*, pag. 341, sqq.



sua „responsione ad impudentissima convicia et calumnias PETRI DATHAENI” (19 Martii 1558). Jam 5<sup>o</sup> m. Aprilis die ejusdem anni in lucem prodiit DATHENI „papistae cujusdam anonymi refutatio,”<sup>1)</sup> quae, quum a LATOMIO silentio non praetermitteretur, iterata vice DATHENUM ad scribendum impulit. Quibus libellis fidei renovatae propugnatorem ardentem non tantum, sed etiam aptum atque magna patrum Ecclesiae scriptorum gaudentem familiaritate, quum se demonstrasset, nomen ejus in Germania, adhuc incognitum<sup>2)</sup>, Theologis innotuit. Animadversione dignum est, DATHENUM in iisdem hisce libellis, in quibus acriter in errores Pontificiorum atque in eorum patronum LATOMIUM invectus est, pacis intra ecclesiae fines se praebuisse amantissimum, fraternum suum erga Lutheranos animum plus semel obtestantem. Omnes tamen ad sedandos et placandos antistites Lutheranos Francofurti conatus inanes fuerunt. Novo cum ardore rixae eos inter atque peregrinos exarserunt. Frustra exsules

---

1) Invenitur in GOLDASTII, *Politic. Imperial.*, etc. pag. 1261 sqq. Secunda DATHENI ad LATOMIUM responsio una cum prima iterum edita, in lucem prodiit Francofurti apud MICHAELEM CHIRAT a<sup>o</sup>. 1560 sub titulo: *Ad criminationes et maledicta Bartholomaei Latomi Rhetoris Petri Datheni responsio secunda.* (Bibl. Ultraj. 8<sup>o</sup>. N<sup>o</sup>. 359.) *Tijdschrift voor geschiedenis en oudheidkunde, etc. van Utrecht, jaargang 1846.*

2) LATOMIUS in libello suo DATHENUM allocutus erat „quisquis es DATHAENE” atque in exilio eum versari illi exprobrat, cui DATHENUS respondit: „In exilio spontaneo sane vivo, cujus me (nam solius Evangelii causa exsulo) nec pudet nec poenitet!” etc. Plura hac de re dabimus infra de DATHENI scriptis agentes.

se cum Augustana confessione atque BUCERI Concordia facere plus semel obtestati sunt. Frustra alios arcessiverunt, e patria antistites, vana spe ducti fore ut fidei confessio ab his Magistratui tradita, Lutheranis magis satisfaceret. Magistratus, a Lutheranis excitatus antistitibus, templum peregrinorum claudi jussit atque iis optionem reliquit, cum ipsis Lutheranis crassam capernaïticam q. d. de S. Coena sententiam amplectendi, aut aliis in regionibus asylum quaerendi. In hisce angustiis DATHENUS coetus sui juribus ac commodis pro viribus consuluisse suspicari licet. Instituto eum inter ac MATTHIAM RITTERUM, unum e Lutheranis antistibus, colloquio<sup>1)</sup>, aequè ac in orationibus suis, spiritualem de S. Coena Christique in ea praesentia, sententiam acriter defendit<sup>2)</sup>. Ad caeremonias (quas DATHENUS magis *adiaphoras* habuit) ad modum baptismi ac S. Coenae ritus administrandi, quod attinet, omnia concedendi, quae salva conscientia concedi potuerunt, DATHENUS coetui suo fuit auctor<sup>3)</sup>. Sed ne FREDE-

---

1) DATHENUS, in opere suo saepius allato: *Kurze Erzählung* etc. pag. 41 hac de re haecce narrat: „Erzelen auch (antistites Lutherani nempe) wie ich mit MATTHIA RITTER ein gespräch gehalten, und gesagt soll haben, das der Leib CHRISTI so weyt vom Brodt sey, als der Himmel von der erden ist, gesweygen aber das gedachter MATHIAS in gemeltem gespräch bekennet hab, das die wort dess Nachtmals „Dass ist mein Leib,“ durch Metonymiam (welcher der Tropus ist die sie in uns verdammen) müssen erklärt sein, etc.

2) l. l.

3) Cf. Praefatio ad Psalmorum ejus versionem in initio, ubi enarrat inimicos suos falsam ei tribuisse sententiam, quasi DATHENUS licit-



RICI quidem III<sup>i</sup>, Electoris Palatini atque Hessiae comitis legati ad aliam sententiam movere potuerunt Magistratum; neque Heidelbergenses et Marpurgenses Theologi, qui testabantur exulum doctrinam Euangelicam, Augustanae confessioni consentaneam esse, hoc testimonio in peregrinorum commodum aliquid efficere valuerunt. Vitae suae integritatis testimonium a Magistratibus impetrare tantum potuerunt peregrini, qui nunc urbem relinquentes, firmac suae persuasionis causa, tertio exstiterunt exsules. Nonnulli in Belgium patriam reduces in carcerem ibi fuerunt coniecti. Mox vitae istorum agitatae pyra vel patibulum miser fuit terminus. Alii in Angliam migrarunt<sup>1)</sup>. Alii, sexaginta circiter familiae, DATHENO fido earum pastore, duce, ad FREDERICUM III<sup>m</sup>, qui jam patronum se iis prae-buerat, refugerunt.

Ab hoc pio reformationis fautore *Francothalii*, haud procul ab urbe Wornathiae sedem sibi impetrarunt. Die 13<sup>o</sup>. m. Junii anni 1562 FREDERICUM inter atque peregrinos initum est pactum<sup>2)</sup>, quo Augustinorum olim

---

tum haberet, quod infantes parentum reformationum baptizarentur in Ecclesia Romano-Catholica. Anno 1559 jam ediderat libellum lingua vernacula, in quo suam exposuerat sententiam. Inimici ejus in DATHENI de ceremoniis sententia liberaliore, talia commenta fingendi et spargendi, ansam invenerunt. Cf. J. W. TE WATER, *Kort Verhaal der Reformatie van Zeeland*, pag. 85.

1) Vide simplicem, satis vividis tamen coloribus depictam, DATHENI narrationem in: *Kurze Erzählung* pag 50, quem locum ad litteram vertit LE LONG in opere suo saepius allato: *Kort historisch verhaal*, etc. pag. 80. Cf. HEPPE I. I. p. 467.

2) LE LONG, I. I. pag. 67.



monasterium <sup>1)</sup> cum adjacentibus agris Belgis fuit concessum. Mox alii e Belgio advenae fratribus se adjunxerunt, ita ut brevi surrexerit satis opulenta civitas, clementi Electori monumentum aere perennius.

De DATHENI in coetu Francothaliensi laboribus admodum pauca enarrat historia. Electorem magni eum fecisse ex uno hocce patet quod FREDERICUS DATHENUM quoque ad colloquium, anno 1564 *Palatinatus* inter ac *Wurtembergiae* theologos habendum, secum adduxerit. Primarias quidem partes in hocce colloquio non egit ipse DATHENUS, quippe quae URSINO atque OLEVIANO concessae essent <sup>2)</sup>. Animadversione tamen est dignum, quod DATHENUS, qui tot tantaque jam a Lutheranis perpressus erat, paratus fuit Palatinum comitandi, quum denuo diversas, in quaestione de S. Coena atque ubiuitate corporis CHRISTI, partes sibi invicem reconciliare conaretur Elector.

Et hic igitur princeps fidem habuit DATHENI indoli conciliatrici, quam in scriptis suis ubique patefecerat.

---

1) TOLNER, in *Historia sua Palatinatus de Francothalia* haecce enarrat: „*Francothaliun*, e coenobio in urbis formam amplificavit (FREDERICUS), atque ab exsilibus *Flandris*, *Hollandis*, *Brabantinis*, *Gallo-Belgis* in tantam incolarum exerevit frequentiam, ut facile jam amplissimis et firmissimis *Palatinatus* urbibus et fortalitiis annumerari potuisset, nisi in nupero bello tyrannide Gallorum caustum, solo acq̄atum atque ita devastatum fuisset, ut hodie vix rudera conspici possint.”

Sigillo etiam urbem donavit Elector, cujus descriptio invenitur apud GORTHALS, *Lectures*, etc. Tom. III. pag. 84.

2) Cf. HEPPE I. I. Tom. II. pag. 77 sqq.

Ab eo inde tempore amicitia et animus gratus erga  
FREDERICUM obstrinxit DATHENUM.

An tamen jam nunc concionatoris aulici munere *Heidelbergae* functus sit, dubitare licet<sup>1)</sup>. Anno 1566 saltem *Francothalii* degit. Nec tamen exulis immemores fuere ejus populares in Belgio, ubi reformata exorta erat Ecclesia *sub cruce*, uti summo jure eheu! appellabatur. Quum enim fidei confessio a GUIDONE A BRES confecta, antequam ab omnibus Neêrlandicis coetibus tanquam fidei suae expositio acciperetur, ad praeclaros omnes fere Belgas mitteretur, ut eam aut emendarent aut sua auctoritate sancirent; etiam ad DATHENUM eo tempore *Francothalii* morantem, eam missam esse legimus<sup>2)</sup>. Quod argumento esse nobis videtur DATHENI nomen in Belgio bona gavisum esse fama. Sed ipsi DATHENO Ecclesiae in patria sua reformatae salus maxime cordi erat, in cujus usum perfecit opus suum notissimum, Psalmorum in linguam vernaculam versionem; quam omnibus Neêrlandiae sub cruce coetibus dedicavit, praefatione *Francothalii* 25 Martii 1566 data<sup>3)</sup>. Huic operi (quod ad conficiendum MAROTIS

---

1) HENR. ALTINGIUS DATHENUM ad *Heidelbergae ministerium Francofurto* vocatum esse, testatur. (de *Ecclesiis Palatinis* l. 1.) cf. HEPPE l. 1. pag. 73, qui DATHENUM inter Theologiae professores enumerat. Neque haec neque illa probabilis est sententia. Caeteri *Palatinatus* historiographi, quos nos saltem inspeximus, nil hac de re movent. Praeterea accipi nequit eum *Heidelbergae* ad coetum *Francothaliensem* (ubi an<sup>o</sup> 1566 degit) rediisse.

2) TE WATER, *Tweede eeuwgetijde der Ned. geloofsbel.* p. 18.

3) In *Catalogo antistitum Amstelodamensium*, anno 1731 sine auctoris nomine Amstelodami edito, invenitur incriminatio quae-



atque BEZAE usus est laboris fructibus) praeterea adjecit *Catecheseos Palatinae* quam FREDERICUS edi curaverat anno 1563, editionis tertiae, versionem. Denique in Ecclesiae nondum ordinatae usum ei addidit *Liturgiam*, partim ex illa, quae in *Palatinatu* viguit, desumptam, partim ipsius DATHENI calamo debitam<sup>1)</sup>.

Et revera eum, ratione temporis habita, de Ecclesiâ hoc labore bene fuisse meritum, probavit magnus, quo in patria fuit receptus, applausus<sup>2)</sup>.

Minime autem in fatis fuit, ut DATHENUS turbulento illo aevo vitam suam *Francothalii* quiete degeret. Aestivo jam anni 1566 tempore legatus ad omnes

---

dam DATHENO satis invidiosa, quod nempe *Psalmos Davidicos* in vernaculam reddidisset linguam, festinante imo negligente calamo, ut praemium nancisceretur, quod Ordines Hollandiae et Zeelandiae polliciti essent illi, qui primam conficeret psalmorum versionem belgicam. Omni tamen fundamento carere videtur haec assertio. Vix probabile est anno 1565 vel 1566 eunte Ordines illos tale proposuisse praemium. Praeterea DATHENUS tunc a patria longe erat remotus et fortasse hac de re nil audiverat.

Cf. J. W. TE WATER. *Reformatie van Zeeland*, pag. 86. 'S GRAVEZANDE, l. l. pag. 213. GOETHALS l. l. pag. 88.

1) Vide infra § de DATHENI scriptis.

2) Etiam coetibus peregrinis Dathenianam versionem quam maxime placuisse, et ex editionibus ejus versionis *Londini, Norvici* an<sup>o</sup>. 1566 et 1568, et e BUCERI ad GODOFREDUM WINGIUM epistola ex urbe *Sandivic* 22 Jan. 1570 data officii potest (*GERDESII Scrin. antiq.* Tom. V. pag. 133.) . . . plerique omnes qui sunt de Ecclesia nostra, flagitant adeoque urgent, ut in coetibus nostris Ecclesiasticis cantentur Psalmi P. DATHENI . . . quo si esset in gratiam vulgi deveniendum, optarem ut una nobiscum huc condescendatis, etc.

*Helvetiae* Ecclesias reformatas ab Electore FREDERICO missus est<sup>1)</sup>. Quomodo hoc munere functus sit DATHENUS, et quam hac in legatione obeunda usus sit fortuna, reticet historia. Ex hoc itinere redux post quindecim annorum exilium tandem patriam revidit, ubi in turbulenti anni 1566 scena, in pugna, quae pro conscientiae libertate ibi agebatur, magnas acturus erat partes.

§ 3.

*De DATHENO in patriam reduce.*

Quum mensis septembris initio<sup>2)</sup> anni 1566 in patriam esset redux DATHENUS, totam rerum faciem immutatam invenit. Per quindecim annorum spatium

---

1) 'S GRAVEZANDE, l. l. pag. 154.

2) BRANDTIUS, (*Hist. der reformatie etc.*, Tom. I. pag. 305) et ii qui, ut ille, BURGUNDIUM secuti sunt, DATHENUM jam antequam Iconoclastae suum perfecrant opus, in Neerlandia adfuisse statuerunt. Attamen hac in caussa ipse DATHENUS audiendus est, qui disertis verbis testatur: „So de *Iconoclasia* nihil scire potuisse, quum illo ipso tempore ab Electore ad Ecclesias in *Helvetia* reformatas missus, legati munere fungeretur (art. 5 ejus apol. 'S GRAVEZANDE l. l. pag. 154). Accipi enim nequit DATHENUM, multis adhuc testibus in vivis degentibus, coram Magistratu veritatem denegasse. Praeterea nos quidem nulla DATHENI certa vestigia invenisse fatemur antè tempus illud, quod supra indicavimus. De eo quod DATHENUM increpent, eum ad imaginum destructionem plebem incitasse Gandavensem, quid e nostra sententia hac de re statuendum sit, e praecedentibus satis intelligitur.



altas in *Belgio* reformatio egerat radices, quas evel-  
lere frustra conabatur PHILIPPUS Hispaniae rex. Eccle-  
sia reformata „sub cruce,” quae dicebatur, inde ab  
anno 1563 plurium Synodorum laboribus, quantum pro  
temporum conditione potuit, ordinata erat atque sta-  
bilita<sup>1)</sup>. Sicut CALVINI pro maxima parte amplexa  
erat dogmata, sic quoque in Ecclesiae regiminis forma  
constituenda illius vestigia pressit.

Hunc Calvinismi triumphum, qui reformationi in  
nostra patria perennem et stabilem formam indidit,  
praesagire potuisset, quisquis ad reformatorem Bel-  
gicorum attendebat indolem. LUTHERI reformatio, qua-  
lis in *Germaniam* principum sub tutela erat introducta,  
liberis harum regionum incolis ab omni parte placere  
vix potuit. Democraticam<sup>2)</sup> regiminis formam, qua Ec-

---

1) Cf. KIST et ROYAARDS, *Archief voor kerk. Hist.* T. XX.  
p. 115—210.

2) Praesertim magni faciebant reformati nostrates *prophetiam* q. d.,  
qua omnibus omnino laicis jus tribuebatur antistitem post concionem  
de singulis quae elocutus erat, placitis interrogandi. Ne fuites  
proponerentur quaestiones, nonnulli doctrina ac pietate insignes  
viri a coetu ipso eligebantur, qui antistiti, constitutis quavis  
hebdomade horis pro ipso coetu, coram omnibus, quaestiones pro-  
ponebant. Antistiti licitum erat adiutorum uti auxilio. (Cf. UTEN-  
NOVII praefatio ad 25 psalmorum ejus versionem *Emdae* 1558.  
M. MICRON in praefatione ad ejus „*Christelijke ordinancien.*”) Et  
hoc prophetae studio et disciplina, quam urgebant, *Ecclesiastica*  
Lutheranis odiosi fuere, qui Anabaptismi symptomata has res re-  
dolere contendeant. Animadvertere hic lubet: *Genevis*, postquam  
CALVINUS ibi severam introduxerat disciplinam Ecclesiasticam, sta-  
tim ad Ecclesiam rediisse Anabaptistas.

clesiam induerat CALVINUS, plus habuit, quod eos alliceret. Deinde Lutheranismus, haud uno nomine Romano-Catholici redolere adhuc thuris odorem visus est iis, qui, quamquam cum ZWINGLIO et MELANCHTHONE non minus quam cum CALVINO facerent haud pauci, ad unum tamen omnes hunc sibi scopum proposuerunt: ut simplicem scilicet et mundam pristinae Apostolicae Ecclesiae formam in vivum revocarent. Et revera Ecclesia, dum sub cruce versabatur, martyrum suorum catervâ, ardente sua fide, congregationibus suis sub divo habitis, primaevi illius temporis memoriam in mentem nobis quodammodo revocat.

Nunc meliora fore ut advenirent tempora sperabant. Iconoclasia Pontificios terrore impleverat. Pavidae atque tremebundae Gubernatrici extorsa erat concessio publice Euangelium annunciandi, iis nempe in locis, ubi ante d. 25 m. Aug. conciones erant habitae. Calvinistae, ingentis numeri et virium, quae iis insitae erant, sibi nunc conscii, praeterea multorum nobilium patrocini nitentes, de reformatione jam jam in Neêrlandia stabilita exultabant. Ad populi animos sedandos, gubernatores in singulas mittebantur regiones, qui cum Calvinistis pactum inirent et loca iis indicarent ad conciones suas habendas.

Ubi hoc iis concessum erat e. g. *Antverpiae*<sup>1)</sup>, ubi Arausiacus princeps quietem restaurare tentavit, templi magici veluti virga e solo evocabantur. Undique — e

---

1) Cf. A. UYTENHOVEN, *Geschiedenis der Hervormde kerk te Antwerpen*, pag. 128.



*Palatinatu*<sup>1)</sup>, e coetibus exulum — reformati, acquisita nunc, ut putabant, religionis libertate beati, pastores circumspexerunt, qui tot millium sitientium diurnam purae et divinae aquae explerent sitim.

DATHENUM, jam antea in patriam revocarant, ut ipse testatus est, se ab Ecclesiis *Antverpiae, Gandavi, Bruxellis, Brugis* constitutis, esse arcessitum<sup>2)</sup>. Prae multis aliis eum desiderabant.

Non tantum ipso, religionis causa ei imposito exilio, et miseris quae Lutheranorum intolerantiâ perpressus erat fatis, iis carus erat; non tantum pugnâ Pontificios inter et DATHENUM hujus fama increverat; sed hoc ipso tempore Psalmorum ejus versio omnium erat in manibus atque DATHENI nomen in ore volitabat populi<sup>3)</sup>.

---

1) Cf. VAN HASSELT, *Omuitgegeven stukken voor de Vaderland-  
sche Geschiedenis*, Tom. I et II passim.

2) 's GRAVEZANDE I. I. p. 154. (art. 5 et 6.)

3) Minus probabilis videtur sententia eorum, qui DATHENUM ipsum suam Psalmorum versionem in patriam introduxisse statuunt. Quare enim DATHENUS, qui festinante, ut ipse testatur, calamo opus suum perfecerat, quia populares ejus summopere absolutam talem optarunt versionem, adhuc tres fere menses eam retinisset? Si vera est nostra suppositio: DATHENUM nempe m. Septembris initio vel postremis m. Augusti diebus in patriam rediisse, direnta est quaestio. Iconoclastae enim sacrilegum suum opus *Antverpiae* (21 Aug.) perfecisse dicuntur *Dathenianos* carentes psalmos (CXV<sup>m</sup> ut conjecit VAN YPEREN). Et eodem m. Augusti medio Calvinistas jam DATHENIANOS cecinisse Psalmos prope *Brugas* testatur CORNELIS ADRIANI f. *Brugensis*. Cf. JANSSEN I. I. Tom. II. p. 129.

Huic famae accessit nativa quaedam et plane singularis eloquentia, cujus fervor malis ipsis, quae passus erat, et familiaritate, quam cum codice sacro contraxerat, insigniter erat auctus. Hinc factum ut, quum ex itinere in Helvetiam rediret ad populares suos rediisset DATHENUS, ardentibus et disertis suis orationibus in auditores suos vim exerceret fere incredibilem. *Flandriae, Brabantiae* et etiam *Zeelandiae* regiones, Euangelium annuncians peragravit et usque ad quindecim millia auditorum ad ejus sermones confluisse, enarrant vel e Pontificiis quidam Historiographi<sup>1)</sup>.

Dolendum est quod, sicut caeterorum hujus temporis Euangelii praeconum, ita quoque Dathenianae eloquentiae scripta documenta temporis naufragio interierunt.

Ac sane auribus populi crassioribus quam maxime adaptata erat ejus oratio. Haud dubie plebi admodum placuit polemica hujus eloquentiae ratio ac indoles contra „purpureatam istam Babylonicam meretricem<sup>2)</sup>” et „Antichristum,” „Sardanapalum,” „Nimrodum,” istum populum Dei persequentem<sup>3)</sup>. Prophetica etiam verba

---

1) N. BURGUNDII *Hist. Belg.* L. III. p. 161. BRANDTIUS, qui eum citat (l. l. pag. 306.) narrat DATHENI assecclas audacia caeteros superasse reformatos, ita ut in urbe *Armentarii* duos baptistas, in carcerem coniectos, liberaverint. Haec narratio, quam non sine consilio retulisse videtur BRANDTIUS, ut nempe DATHENUM ab initio inde ad tumultus proclivem fuisse probaret, ponenda est non ante sed post Iconoclasiam (vide supra). Quomodo tamen DATHENO ipsi opprobrio sit, quod ejus auditores perpetrasse narrantur, vix intelligimus.

2) i. e. Ecclesiam Romano-Catholicam.

3) i. e. Papam romanum.



non deerant, quae Dei auxilium ac divinam vindictam jam jam instantem Ecclesiae hostibus annuntiarent<sup>1)</sup>.

DATHENI oberrantis vestigia per *Neerlandiae* turbatas regiones pedetentim sequi, nobis non permittit historia.

*Trajecti ad Mosam*, deinde et *Antverpiae*<sup>2)</sup> Euangelium annunciasse videtur, qua in urbe jusjurandum, omnibus pastoribus e pacto impositum, Arausiaco principi dedit. Primum igitur ibi commercium exstitit inter duos illos viros, qui toto caelo a se invicem distabant, qui tamen, unius ejusdem populi libertatisque amoris conjungerentur vinculo, ocius cheu dissolvendo<sup>3)</sup>.

*Antverpiensis* autem Ecclesia, quum plurimum fruere-  
tur pastorum laboribus, DATHIENUS ut aliis inserviret  
coetibus eam reliquit.

In urbibus *Flessingae*, *Medioburgae*<sup>4)</sup>, *Ziericeae*, mul-  
tisque aliis in locis „*Barbarossae*”<sup>5)</sup> quo cognomine

---

1) Verba ipsius DATHENI vide apud GOLDAST *Imper. Politic.* etc. pag. 1262 sqq. Non infeliciter DATHENI oratiunculas contexuit, e nostra quidem sententia, FELIX BOGARRETS in fabula Romanensi cui titulus: *El Maestro del Campo* Gorinchem 1843, quamquam phantasiae suae indulgens, historiam DATHENI plane immutavit scriptor.

2) 'S GRAVEZANDE l. l.

3) DIEGERICK l. l. Cf. GOETHALS l. l. pag. 88.

4) Praeter ipsius DATHENI verba ('S GRAVEZANDE l. l.), eum hac in urbe, per aliquod tempus degisse testatur ALBAE sententia in civem quendam Medioburgensem HUGO JOOSZ.: cui inter alia imputatur eum DATHENUM hospitio recepisse („tracteerende en huisvestende de Bedienaer PETRUS DATENUS.”) MARCUS *sententien van ALBA* p. 66.

5) Flandrico sermone: „*de Minister met den rusten buert.*”

mine cum indicare solebat populus, ad orationes confluit ingens hominum numerus. Sed imprimis *Gandavensi* Ecclesiae suos dicavit labores, quae quidem semper dilectissimum habebat DATHENUM.

Atque ibi profecto ingenii dotes, quae DATHENO inerant, praesertim ad constituendam et regendam Ecclesiam summopere desiderabantur. Tumultuosa atque ad rebellionem proclivis *Gandavensium* indoles etiam hujus anni eventibus se patefecerat.

Incredibili fere cum audacia incoelastae, trepidi Magistratus sub oculis, suum perfecerant opus. Acerbissima inter Pontificios atque „novae religionis” asseclas, inferioris praesertim hujus urbis e populi classibus, dissidia inde erant exorta. Quae ut componeret *Flandriae* gubernator, Comes EGMUNDANUS, pactum cum Calvinistis inire sibi proposuit. Illud tamen quod iis subseribendum tradidit, quum (d. 12 m. Sept.) urbem relinqueret, ad caeteras *Flandriae* urbes pacificandas, minime reformatis placuit. Hi diu haesitarunt, utrum huic pacto subscriberent, quod demum post mensem praeterlapsum, (quum nempe templi exstruendi facultatem Comes EGMUNDANUS iis concesserat,) ut pote a Calvinistis quoque approbatum, promulgari potuit. Per totum hoc temporis spatium urbs rumoribus fuit agitata. Pontificii metu erant oppressi; reformati ingenti suo numero audaces jura sibi non raro arrogabant, quae ex lege iis nondum competebant. Interea *Gandavensis* Ecclesia, quod ad regimen attinet, inordinata fere remanserat.

Quotidie interlocutiones cum Magistratu habitae sunt. Hic, gubernatricis iram extimescens, reformatos



ad pacti subscriptionem impellere frustra tentavit. MODETUS<sup>1)</sup> una cum PETRO de RYCKE<sup>2)</sup> aliisque coetui praepositis coram illo res Calvinistarum egit. Postquam tamen DATHENUS primarius Gandavensium exstiterat antistes,<sup>3)</sup> hic MODETI partes suscepit. Plus semel ab Ecclesia Gandavensi ad Comitem missus fuit, quem ad majorem gregalibus suis licentiam concedendam perduceret. Neque tamen ipse DATHENUS, disertâ, quam habuit, allocutione felicior nancisci potuit eventum.

Nihilominus DATHENUS ejusque collegae<sup>4)</sup> in concionando<sup>5)</sup> et, quod majori etiam Romano-Catholicis offensionem erat, in baptismo sacro administrando ac nu-

1) Cf. W. TE WATER, *Geschiedenis der Hervormde kerk te Gent*.

2) Jurisperitus, qui etiam in exsilio causam reformationis acriter propugnavit. Vesaliensi adfuit Synodo a° 1571.

3) Magistratus Gandavensis eum nuncupat reformatorum „prin-  
cipalsten minister.”

4) Hi eo tempore fuerunt, notissimus ille HERMANNUS MODETUS, eodem ardore quo DATHENUS pro reformata fide praeditus, CARPENTIER, VERSCHUEREN, RUTSEMELIS, J. MICHAELUS et BALTH. PIETERSEN.

5) Locus, quo conciones suas extra urbis fines habebant Calvinistae, dicebatur *Roygem* in Carthusiorum olim monasterio, ubi et postea eorum templum erigebatur. DATHENUS d. 29 m. Sept. primam orationem *Gandavi* habuit. DE KEMPENAERE (*Vlaemsche Chronyk*) narrat eum 20 d. m. Oct., quum per omnem patriam preces essent effundendae pro salvo PHILIPPI e *Hispania* in *Belgium* adventu, sermonem elocutum esse de MATH. XI : 28. Comparatio inter bonum pastorem, scilicet, qui ex *Hispania*, ad deviantes suas oves revocandas adventurus erat! et optimum pastorem Christum, *Dathenianâ* eloquentia dignissima sane comparatio fuit!

ptias consecrando, invito Magistratu, perseverarunt. Nihil autem adversariis odiosius erat quam funeralia, uti a Calvinistis erant instituta, quippe quae semper ingentem hominum turbam allicerent. Sic et quinto die mensis octobris, hora vespertina talis hominum multitudo in cimeterio, S<sup>ti</sup> Jacobi templo adjacente, se congregaverat, ad orationem audiendam funebrem, quam antistites nonnunquam longius extendebant. Quo munere hac occasione functus DATHENUS <sup>1)</sup>, fortiter Pontificiorum errorem de purgatorio oppugnans, omnium arrectas tenuit aures. Repente vero tota agitatur turba. Ecce milites procedunt, qui magistratum jussu emissi, regis nomine DATHENO silentium imponunt. Brevi metus huc illuc conventum disperserat, et DATHENUS, sive quod Magistratui resistere nolebat, sive quod se ab omnibus fere auditoribus relictum videbat, obticuit

---

1) Cff. *Gendsche Geschiedenissen*, Tom. I. pag. 48. Harum historiarum auctor Romang-Catholicus DATHENUM ludibrio ac risui exponere conatur, ut ex ejus verbis patet: „maer ziende eenige soldaten op hun aankomen, liep den gheelen hoop weg met den Minister, die sedert spitsgewijs genaemd werdt *den goeden herder*.” Inveni tamen in *Depositario Gandavensi* ipsius Magistratus annotationem, in qua narratur: . . . . . welk sermoen naederhandt ghecesseert wierdt bij middele van mijn heere VAN WACKENE, hoochbaillu, die derwaerts zondt eenighe officiers ende hallebardiers, die uut zijner naeme ende van Co. Malcyts wegghen den voornoemden ministre *expres bevell deden* van nyet voorts te procederen ende zijn voorseyde sermoen op te houden,” etc. [*M. S. Doc. concernant les troubles*, 1566—1579, fol. 37.] quae verba probant DATHENUM tantam magistratui succubuisse. DATHENI sane non erat ad primum militum manipuli adspectum, subito suam abrumpere orationem.



et solus domum reversus est. Ab hoc inde tempore DATHENO ironice ac ignominiae causa „boni pastoris,” cognomen a Papistis inditum videtur.

Dissidium, quod jam Pontificios inter et Calvinistas intercedebat, novum veluti nutrimentum accepit, quum hi tandem mense Octobris medio pactioni, quam tam diu subterfugerant, subscriberent.<sup>1)</sup> Nimirum! Comes EGMUNDANUS, aedis sacrae aedificandae veniam quam instanter illum rogaverant, tandem iis concessit. In urbis proxima vicinitate,<sup>2)</sup> nunc intra quatuor vel quinque dierum spatium religioso Gandavensium ardore domus surrexit lignea quidem, satis firma tamen ac capax.<sup>3)</sup> Mox aedes illa, praeceuntibus antistibus a DATHENO quoque nostro, inaugurata est, qui a Diaconis, nuper electis, nummos ad exstruendum illud aedificium necessarios colligi curaverat.<sup>4)</sup>

Interea multos Flandriae sub cruce coetus desiderium ceperat, DATHENI, laudati illius oratoris sacri audiendi, quod ipsi quoque indicaverant. His precibus lubenter morem gerens, postremis ejusdem mensis Octobris diebus *Iprionem* se contulit, ubi CAROLUS RYCKEWAERT,<sup>5)</sup> in magnum Calvinistarum commo-

1) Cf. *Gendsche Geschiedenissen*, l. l. pag. 52 sqq.

2) In loco qui *Royghem* dicebatur.

3) Vide formae satis peculiaris, qua distincta fuerit, descriptionem, l. l. pag. 56.

4) Cf. *Gendsche Gesch.* l. l. pag. 55 et 57 cum: *Memorieboek der stad Gent*, pag. 343.

5) Notus est ille reformationis in *Flandria* patronus etiam sub nomine THEOPHILI. Postquam Pontificii omnem religionis liberta-

dum, antistitis munere fungebatur. Quod e pacto *Eg-*  
*mundano* pastoribus impositum erat jusjurandum, *DA-*  
*THENUS* quoque, huic legi obediens, simulac in urbem  
advenerat, dare voluit. Hoc consilio die 31. mensis  
octobris ad Magistratum se contulit, qui tamen hocce  
die nullum habebat conventum. Tum festinanter to-  
tam percurrit urbem, ut scabinis, ipsam eorum domum  
invisens, suam legibus obtemperandi voluntatem testifica-  
retur et probaret. Sed frustra. Postridie concio in-  
dicta erat ac ingens hominum turba inde a prima luce  
disertum expectaverat oratorem. Tum *DATHENUS* Ma-  
gistratui misit epistolam, qua fratrum suorum spem se  
frustrare non posse significavit; ne tamen Magistrati-  
bus debitam abnegare reverentiam videretur, se prom-  
ptum ac paratum esse professus est ad idem illud  
jusjurandum, quod jam alibi dederat, coram eorum  
senatu praestandum. Quo facto *CORNHUSIUS*, senatus  
urbani praeses, statim Magistratum convocavit, qui  
paucis horis post *DATHENI* accepit jusjurandum. At-  
tamen quod non mirari non possumus — hoc die  
orationem tanto cum desiderio expectatam non habuit.

---

tem reformatis ademerant, *Nordvicum* migratus ibi antistitis apud  
popularium suorum coetum munere, per aliquot annos fungebatur.  
Tanquam *Leydensis* antistes una cum *DATHENO* synodo adfuit  
Dordracenae, anno 1578 habitae. In provinciam suam natalem  
Flandriam reversus, *Iprione* remansit, donec haec urbs Parmae  
Duci se traderet a<sup>o</sup> 1584. — Vide de eo: *Bijdragen tot de Oud-*  
*heidkunde en Geschiedenis inzonderheid van Zeeuwsch-Vlaanderen.*  
*uitgegeven door H. G. JANSSEN en J. H. VAN DALEN te Middelburg,*  
bij J. C. en W. ALTORFFER. Tom. II. pag. 215 sqq.



Die demum secundo mensis Novembris in cimeterio Sanctae Magdalenae multis auditorum millibus Evangelium annunciarunt RYCKEWAERT Gallico, Flandrico autem sermone DATHENUS. <sup>1)</sup>

1) DIEGERICK l. l. p. 15. Ex epistola, quam DATHENUS Magistratui misit, haud apparet illum quodam muneris vinculo huic coetui conjunctum fuisse. Haec sunt ejus verba: „Dewijle dat die ghemeinte deser stadt, die begheert na die reformatie des Evangelie te leven, van mij begheert heift, dat ick *hedent* haer wille vermaenen unt Godts woort, ende dat ick sulcs te doen bereydt bin, ende om alle ghehoorsaemhoit te bewijsen der overheyt bereydt ben gheweest den gewoonlicken eedt te doen, daerom ick ooc ten huysse bin gheweest van den griffier, ende ooc tot uwen ende meer anderen, maer niemant hebbonde tot huys ghevonden, so ist dat ick voortvaeren sal, doch met protestatie dat, ghelyck ick den voorseyden eydt hebbe ghedaen tot Antwerpen in den handen van mijn heere de prince van Orangien, ende dacna in den handen van mijn heere van Hoochstracten, item ooc tot Gendt in den handen des commissaris des princes van Gavren enz. so bin ick noch bereydt ende volverdich hier te doen, begheerende ootmoedelick ende protesteerende wel expresselick, dat mij dit werck niet en kan noch mach als rebellie ofte onghoorzaemheyte utghelegt ende toegherekent werden, daervan ick uwe eersaeme wijsheit hier mit hebbe willen adverteren, etc.” — Cum hisce quodammodo pugnare videntur quae in actis Senatus *Iprionensis* legimus: „Ceux de la religion nouvelle de cette ville nous ont ce jour d’huy (6 Feb. 1567) requis de admettre en serment comme leur ministre predicant, ung nommé MAHIEU LOYSIER lequel n’avons voulu recevoir au dit serment, parce que P. DATEN et RYCKEWAERT, ont icy faict serment comme ministres de ladite religion. Et comme lesdits requerans, ont persisté d’avoir ledit predicant parce que PIERRE DATEN est absent, n’ayant icy presché que ung jour tant seullement, etc.” — Postrema illa verba suspicio-

Etiam *Brugis* aliisque Flandriae in urbibus concionatus est, ita ut eloquentis oratoris nomen in diem magis divulgaretur.

Mox autem verbi divini nuncius et orator sacer in DATHENI persona evanescet; contra cum strenuum partium, quibus adictus erat, propugnatorem agere videbimus. Hisce protegendis earumque viribus augendis nunc omnes ingenii animique dotes impendere et potuit et voluit.

Res politicae ac religionis cura tunc temporis in patria nostra mirum in modum commixtae erant. DATHENUM igitur utrisque se immiscuisse, non est quod miremur. Gubernatrix, ea quae jam pridem metu coacta concesserat, irrita reddere studens, eunctos qui Belgicis provinciis praeerant ad majorem in Reformatos severitatem et rigorem exhortata est, quod omnium animos maxima sollicitudine affecit, at simul libertatis ac religionis Palladii servandi et vindicandi, studio implevit. Regis clementiam denuo invocarunt et quae populo mercaturam agenti carissimae esse solent, divitias suas illi obtulerunt. <sup>1)</sup> Petitionem illam ad re-

---

nem movent, DATHENUM coetum suum deseruisse (cf. S' GRAVEZANDE l. 1. p. 153. art. 3). Verosimiliter tamen DATHENUS minime in mente habuit antistitis munere hoc loco fugi. Magistratus vero DATHENUM hujus coetus pastorem ordinatum esse urgere voluit, ne alium antistitem coetui concedere et admittere cogeretur. Si ita res sese habet, Calvinistarum Iprionensium verba haud ita de DATHENO sed multo magis de Magistratu *Iprionensi* querelam continent.

1) Documenti illius, quo regi 3,000,000 fl. obtulerunt refor-



gem deferre jam primo mensis Octobris die in congregatione antistitum Flandriae statutum erat. Hanc quoque quavis in urbe ab antistitibus Magistratui offerendam esse, DATHENO auctore, decretum est, ut res a rege ipso maximi momenti haberetur. <sup>1)</sup>

Et revera d. 27 ejusdem mensis, nonnulli e Calvinistis atque e Lutheranis, qui suo in coetu dignitate ac auctoritate praevalebant, Antverpiae HOOGSTRATENI comiti petitionem tradiderunt. Ambos coetus rixas suas componere vel potius in tempus reponere, urgens jusserat tristium horum temporum necessitas. <sup>2)</sup> Si fides est hodierno historiographo, <sup>3)</sup> DATHENUS fuit qui,

---

mat, si Deum colere secundum conscientiae suae vocem iis concederet PHILIPPUS, fragmenta dedit BRANDTIUS l. l. pag. 393 sqq. cf. RAHLENBECK, *L'Inquisition et la réforme en Belgique*. Bruxelles 1857, pag. 102.

1) Cf. BRANDT l. l. pag. 395. UYTENHOVEN, *Gesch. der Herv. kerk te Antwerpen*, pag. 237. Difficile est certo statuere in quam e magno synodorum numero, quae hoc tempore habebantur, DATHENUS tanquam praeses, collegis suis talem fecerit propositionem, quae sane pro ejus sagacitate pugnare videtur. Ex opere hodierni scriptoris: M. L. VAN DEVENTER, qui multa adhuc inedita in suum usum adhibuit documenta, efficiendum esse videtur factum illud esse in conventu, in quo et nobiles nonnulli adfuere, primis m. Novembris diebus Tornaci habito (*Het jaar* 1566, pag. 46.)

2) BRANDT l. l. pag. 393.

3) CHARLES RAHLENBECK (l. l. pag. 103. cf. pag. 105.) qui periodam, de qua agimus satis vividis depinxit coloribus. Quamquam dubitanter de ejus narratione locuti sumus, quia fontes, e quibus eam hausit auctor, non indicavit, fatendum tamen est, cum e rerum hoc tempore conditione, tum ex ipsius DATHENI

GUILIELMO principi coöperans, talem diversas inter illas reformationis partes, effecisset concordiam, <sup>1)</sup> atque Calvinistis proposuisset, ut decimo et tredecimo Augustanae Confessionis articulis, calculum adjiciendo secum Lutheranis unirent. Sed et hosce ad pacem inter reformatos ipsos constituendi conatus, et petitionis laudatae, multis etiam provinciarum septentrionalium in urbibus oblationem, faustum non habuisse eventum, ex historia constat. Dubitare licet an preces reformatorum illae unquam ad regem pervenerint; fructu saltem plane caruerunt.

Hoc tamen effecerat illa petitio, quod ab eo inde tempore reformati stricto admodum vinculo et inter se et cum nobilibus, qui Calvinismo favebant, essent conjuncti; et multi infausto hoc eventu jam eo adducti sunt, ut tempus advenisse crederent quo illata vis vi esset defendenda.

Civium rebellandi jus contra regem, quippe qui libertati tum politicae cum religiosae insidiari haud desine-

---

indole, valde probabilem esse ejus relationem. DATHENUS enim et in scriptis suis et in rixis Lutheranos inter et coetus Belgicos Francofurti, ad X<sup>o</sup> et XIII<sup>o</sup> artt. Aug. Confess. subscribendum, coetui suo antesignanum se praebuerat. Praeterea illi praesertim, qui tam diu in Germania versatus erat, persuasum esse debuit, omnes ad patriam oppressam liberandam conatus irritos fore ac inanes, nisi Germaniae principes reformati Belgicis suum praebent auxilium. Quod praestare parati erant illi, dummodo ab his Augustana Confessio tanquam fidei symbolum acciperetur.

1) Alii ut VAN DEVENTER, honorificum huncce laborem GILLESIO CLERICO tribuere maluerunt (l. l. pag. 45 sqq.)



ret, synodus ineunte mense Decembris *Antverpiae* habita agnovit. Quumque interea MARGARETHA pacto, cum reformatis icto, violando ulterius etiam progrediretur, ita ut infantes parentum brachiis evellerentur, purioris Euangelii nuncii capite plecterentur, ac tandem undique copiae colligi coepissent, alea est jacta. Arma capere, copias auxiliares, e Palatinatu praesertim, contrahere, omnibusque viribus, quoad ejus fieri posset, tyranno resistere, in congregatione antistitum, quae d. 16<sup>o</sup> m. Decembris, in Flandriae pago *Nieuwerkerke*, DATHENO praeside, est habita, decretum fuit. <sup>1)</sup>

Mox per Flandriae occidentalis vicos pulsabantur tympana, quorum clangore undique convocati milites, cum veterani tum tirones confluxerunt, qui primo loco urbem *Tornaci* aggredierentur. Alium et a consilio alienissimum in usum nunc iidem impendebantur nummi, quos regi dono donare pacis amantissimi ejus subditi in mente habuerant. Populi tumultuantis ubivis antesignani fuere Ecclesiae pastores, qui flagrantibus suis verbis et ardore eloquentiae sacvientem jam ignem longe lateque sparserunt ac veluti oleum surgentibus infuderunt flammis.

---

1) Desumpta sunt haec et quae sequuntur praesertim ex inquisitorio quod DENYSIUS quidam subiit, centurio illarum copiarum a consistoriis locatarum :

„Diet qu'à *Nieuwerkerke* a esté une assemblée des ministres environ six ou huit jours devant Noël, ou estoit conclu qu'on leverait gens de guerre . . . . ou estoit entr'autres M<sup>e</sup> PIERRE DATHIN, ministre à Gand, lequel s'est porté pour leur superintendant et conduit les affaires depuis advenues. (VAN VLOTEN, *Nederlands opstand tegen Spanje*, Tom. II. p. 229 sqq.)

Nullus autem eorum ad hos labores belli, uti et in nummis colligendis impigrior fuit DATHENO. Quamquam perpauca tantum ejus vestigia in historia offendimus, fere semper tamen ibi deprehenduntur ea, ubi tumultus quasi focus inveniebatur. Quae cum ita sint, summo jure statuere nobis videmur DATHENI, in omnium animis ad bellum illud, quod pro patria et libertate susceptum est, commovendis et suscitandis magnas fuisse partes.

Ab illo inde die, quo Synodo *Nieuwkerkianae* interfuit, ubi ceteris cum sociis ad bellum civile se promptum ac paratum declaraverat, in ordinanda rebellione, una cum MODETO totus occupatus fuit. Fuit ille qui difficile in se suscepit ac perfecit opus, constituendi ac definiendi, quantum pecuniae, pro sua parte quaeque tribueret urbs, ad copias, quae per universam Neerlandiam contraherentur, alendas et sustentandas <sup>1)</sup>.

Peragravit Flandriam, consistoria convocavit, pecuniam undique collegit, quam centurionibus dari jussit —

---

1) Quotisationem q. d. qualis a DATHENO fuit constituta hic tradimus, quum ex ea pateat, quantis jam rebellio viribus in Flandria praedita fuerit. Solverent *Brugae* f 8000, *Yprio* f 3000, *Bailleul* f 1200, *Diamude*, *Veurne*, *Duinkerken* *Nieuwpoort*, *Ostende* f 4000, *Steenwerk*, *Nieuwkerke* f 700, quum sexies tot nummorum collectio repeteretur. (Cf. VAN VLOTEN l. I. cum VAN DEVENTER l. I. pag. 49 in nota.) DATHENUM autem non frustra confidelium auxilium invocasse, probant ejusdem DENYSII verba q. s.: „ayant aussy là recheu encore xij<sup>e</sup> l. gros envoyez par „led. DATHIN . . . desquels il donnit certain acquit comme il „feit des xij<sup>e</sup> l. gr. pardevant recheu des mains dud. Me PIERRE „DATHIN” etc.



ut paucis cuncta quae peregerit complectamur verbis — administrando, populum exhortando et inflammando, omnibus viribus id egit, ut pugnam excitaret, quam mala sua fide provocaverat gubernatrix.

Quam infausta illae copiae, a Consistoriis locatae, exportatae sint fata, ex historia novimus. Haud procul a pagis *Waterloo* et *Lannoy* a Gubernatricis copiis non victi vel dispersi, sed trucidati et consultati fuerunt.

*/ felos*

DATHENUS e variis suis per Flandriam itineribus *Gandavum* redux <sup>1)</sup>, die 1<sup>o</sup> m. Jan. anni 1567 *Ant-*

1) DATHENUS hisce omnibus quae peregit, minime coetui suo displicuit, imo annuente et cooperante illo perfecit, uti patet ex his quae e M. S. desumpta hinc afferenda sunt: „Omme dies wille dat tzichtent tractaet van submissie ghemaect bij mijnen heere den Prince van Gavre met die van der nyeuwer religie deser stede scepenen ducchedelijck gheinformeert zijn, dat M<sup>r</sup> PIETER DATHENUS, heurlieder principaelen minister, hem ghetransporteert heeft zommeghe daghen voor kers-dag lestleden bynnen den Westquartiere van Vlaenderen, *ten zien, welweeten ende consente van de voornomde van de nyewe religie . . . .* ende de reste van de voornomde pennynghen bedraghende tot groote somme, ontfacen bynnen deser stede van Ghent ende danof ghegheven quittance ter presencie van zynen weert, omme metten zelven 't volck van oorloghe te lichtene ieghens zijne Majesteyt, welke reste den voornomden minister ghevoert ende ghetransporteert heeft bynnen der stede van *Antwerpen*, verselscapt wesende van goeden ghetaele van ghedeputeerde van de voorseide religie van deser stede, bij denwelken die van der voorseide nyeuwer religie deser stede hemlieden nyet en kunnen ghewasschen ende ontsuldighen, zij en hebben gheconsenteert mitsgaders fauteurs ende autheurs gheweist van de voornomde lichtighe van pennynghen metten voornomden meester PIETER DATHENUS heurlieder mynister etc.

*verpiam* profectus est, ut magnae illi Synodo adesset, ad quam ad unum fere omnes in patria Consistoria suos miserant legatus. Fortasse ab illa synodo ad BRE-  
DERODIUM fuit missus <sup>1)</sup>, qui primis m. Januarii diebus *Amstelodami* versabatur. Ibi etiam GUILIELMUS prin-  
ceps, ejusque frater LUDOVICUS cum caeteris rebellionis  
antesignanis tempore indicato fuerant congregati. Ante  
omnia enim reformatis opus erat duce, qui indigestas  
populi vires ad propositum duceret scopum. Hereuleum  
profecto laborem! Quem recusavit Arausiacus, cuncta  
irrita fore, nisi Germania auxiliares mitteret copias,  
probe intelligens. Idem ille turbulentioribus Calvinis-  
tis, penes quos summa rebellionis erat vis et voluntas,  
neque aptissimus neque optatissimus visus est dux,  
quippe qui ipse in religiosis dubius adhuc et anceps,  
Augustanam confessionem iis obtrudere voluerit. Tunc  
vero BREDERODIUS, intimo pectore libertatis caussae  
addictus, ac reformidanda pericula minus quam Arau-  
siacus perspiciens, hunc in se suscepit laborem, illius  
humeris gravius profecto onus! Hic igitur cum aliis  
libertatis patronis, primo hujus anni mense, quotidi-  
anas fere colloctiones habuit, quibus etiam *Amstelo-*  
*dami*, *Vianae* atque in BREDERODII villa *ter Aa* una  
cum GUILIELMO principe, LUDOVICO ejus fratre et  
THOLOSANO DATHENUM interfuisse legimus <sup>2)</sup>.

Nihil nobis innotuit de sententia quam hinc enunciavit,

---

(Deposit. Gandav.: *Documens concernant les troubles et nouvelle religion* 1564—1566, fol. 153. cf. VAN VLOTEN l. l. pag. 233.)

1) Cf. 'S GRAVESANDE l. l. pag. 154, art. 6.

2) VAN VLOTEN l. l. pag. 234. VAN DEVENTER l. l. pag. 53.



aut de consiliis quae dederit DATHENUS, sed cum non otiosum neque tacentem in his colloquiis fuisse auditorem, tuto suspicari licet. Non tantum iis interfuit tanquam tumultus in Flandria antesignanus sed etiam Palatini Electoris legati personam agens, qui Germaniae conditionem cum politicam tum religiosam prae aliis bene cognitam habebat; cujus consilia hanc ob rem magni fecerunt nobiles <sup>1)</sup>.

Per illud temporis spatium, quo res in patria nostra, religiosae ac politicae magis magisque ruebant, quo terror audacissimos quoque implebat, omnesque ad patriam deliberandam conatus infausta utebantur fortuna; *Antwerpiae* DATHENUS degisse videtur <sup>2)</sup>, ubi cum familia sua, *Marci Perez*, divitis illius judaei, reformationis tamen caussae sedulo inservientis, hospitio fruebatur <sup>3)</sup>. DATHENUM et nunc se strenuum reformationis patronum praebuisse ex uno hocce exemplo apparere videtur.

---

1) DATHENUS et nunc et postea etiam saepius ab Electore pro tempore Ecclesiae Neerlandicae erat concessus. Semper ille FREDERICUM tanquam dominum suum agnovit atque ei fuit obstrictus. Legati munere, quo nunc fungebatur, fortasse erat causa cur *Magistrum* eum semper nuncupaverunt aequales. Nunquam enim DATHENUM gradum Theologiae doctoris acquisivisse nos quidem legimus. Attamen eo tempore non ita stricte, quo nostris diebus hujus Magistri titulus usurpabatur. DATHENUS e Germania secum adduxisse videtur pedisequum, qui in itineribus ipsum comitaretur. DENYSIUS saltem dixit: „dessus quoi led. M<sup>e</sup> PIERRE luy promist de envoyer par son homme . . . quy estoit venu par devant d'Allemagne avecq led. M<sup>r</sup>. PIERRE.”

2) Cf. KIST EN ROYAARDS, *Archief* etc. Tom. IV, pag. 115-175.

3) Cf. VAN VLOTEN I. I. pag. 236.

Mense nempe Aprilis in pago, qui hodie dicitur *St. Winoxberge*, DATHENUM invenimus apud socerum suum CAROLUM DE LANDMETER, cujus domi multi Calvinistae erant congregati, quos excitavit et adhortatus est ut conciones habendi veniam denuo a Gubernatrice peterent, quandoquidem Palitini Elector auxilium iis polliceretur<sup>1)</sup>.

Omnibus autem, quae hucusque DATHENUS pro salute patriae, ut credidit, peregerat, magis etiam in Hispanorum odium incurrerat, quod vel exinde apparet, quod Gubernatrix ejus capiti insidiantibus argenti quadraginta pondo praemium pollicita sit. Exemplum igitur tot millium popularium et ille secutus est, et eodem fere tempore, quo Arausiacus princeps, patriam reliquit ad suum ipsius coctum rediturus<sup>2)</sup>!

---

1) Sententia, e qua narratio haec desumpta est, sic sese habet:  
„confesse s'estre trouvé en la maison de KAERLE DE LANDMETER  
„à sa requeste, où il trouva PIETER DATEN frère audit KAERLE,  
„avec plusieurs autres, où ledit DATEN leur remontra y estre  
„venu pour les assister pour obtenir lieu pour faire les presches  
„et que à celle fin il employeroit son maistre qu'il disoit estre  
„le comte Palatin, leur mettant de vouloir signer certain billet  
„pour obtenir les dites presches dont ne pourroit venir aucun  
„mal. Et comme avant partir il fut conclu qu'ils se trouveront  
„devers le magistrat, il deposa y s'estre aussy trouve.” M. S.

2) Cf. 'S GRAVEZANDE l. l.



§ 4.

*De DATHENI in Germania factis.*

DATHENUS, postquam patriam ad ALBAE adventum tremore repletam reliquerat, „domum” ad suum coetum rediit, haud diu tamen quiete pastoris Francothaliensis officii functurus.

Quum enim in *Gallia* novo quodam furore bellum renovatum esset civile, Huguenotos inter atque aulicos, CONDAEUS caeterique Calvinistarum duces ab Electore, causae Evangelicae ubique patrono, copias implorarunt auxiliares. Nec cunctatus est FREDERICUS, sed filium suum secundum, magna cum militum copia, in Galliam misit<sup>1)</sup>. Ne tamen filius suus CASIMIRUS, juvenis adhuc, neque milites inter belli rumores pietatem negligerent, DATHENUM tanquam concionatorem militarem CASIMIRO adjunxit comitem<sup>2)</sup>. Et fatendum est haud uno nomine illum se ad tale opus commendasse.

Fervida enim sua eloquentia aptissimus fuit, qui preces coram militibus effunderet. Praeditus erat insuper scientia quâdam medica, in bello imprimis magni fa-

---

1) GOETHALS l. l. pag. 86 et plerique recentiores historiographi hoc DATHENI in Galliam iter locum habuisse perhibent, anno 1566 medio. Quod admitti nequit; quid, quod DATHENUM per illud temporis spatium *alibi* degisse ex historia novimus? Ipse autem testatus est, se CASIMIRUM comitatum esse in *primo* illius in Galliam itinere.

2) 'S GRAVEZANDE l. l. pag. 153. art. 4.

cienda; ingenio denique suo rerum belli ac pacis aequo perito, ad consilii munere fungendum maxime idoneus erat habendus.

Dolendum est quod historia fere nihil memoriae tradidit de DATHENI hocce in bello fati, quum ipse postea testatus sit, se jam antea Gallorum indolem ita penetrasse et perspexisse, ut nihil boni de iis in posterum sperare liceret. Mala fortasse fides, qua aulici usi fuerant, quum nocturnum in Huguenotorum copias facerent impetum, dum CONDAEUM inter atque aulam de pacis articulis ageretur, huic DATHENI odio ansam dedit. CASIMIRI ejusque exercitus fata ex historia novimus<sup>1)</sup>. Nisi temerarium esset habendum merâ in historia conjecturâ uti, haud improbabile nobis videretur, unum e concionatoribus illis militaribus, qui pactioni ab aulicis CONDAEO propositae, acriter sese opposuere, DATHENUM nostrum fuisse<sup>2)</sup>. Quidquid hujus rei est, caetera DATHENI vitae vagae et commotae fata pro magna parte ab hac missione, a FREDERICO DATHENO mandata, pependisse, ea quae nobis narranda supersunt docebunt. Hoc enim DATHENI iter amicitiam inter ingeniosum exsulem atque pium ejus patronum totamque Palatinam familiam non adangere non potuit. Inprimis apud CASIMIRUM ab eo inde tempore

---

1) 's GRAVESANDE l. l. Ex historia autem notum est CASIMIRUM bis in Galliam cum exercitu esse profectum. Altera vice, quum DATHENUS eum comitatus est an<sup>o</sup> 1567—1568, altera vice an<sup>o</sup> 1576. cf. *The protestant reformation in France*, pag. 118 sqq. LANGUETI *epistolae* pag. 35 sqq.

2) Cf. *The prot. ref. in France*. l. l. pag. 137.



maxima valuit auctoritate; quod tamen cum Palatinis necessitudinis vinculum nec DATHENO ipsi nec patriae ejus valde profuit.

Vix e bello redux ad alia, muneri suo sacro magis adaptata, officia praestanda vocabatur DATHENUS. *Vesaliae*, ubi inde ab initio reformationis exsules e patria nostra quietum invenerant asylum <sup>1)</sup>, habebatur prima totius Neerlandicae Ecclesiae *sub cruce* synodus.

Huic fere omnes reformationis in patria nostra antesignani adfuerunt; inter illos imprimis, MARNIXIUS ille, *Sanctae Aldegundae Dominus*, GUILIELMUS A NYVELDT, auctor Psalterii Belgici, MODETUS, DE RYCKE alii. DATHENUS a Francothaliensi, et qui circumjacebant, coetibus missus, Synodo huicce non tantum interfuit sed verosimiliter praesidis vices egit. Quod e DATHENI chirographio, synodi hujus actis subscripto caeterisque nominibus praefixo, efficiunt viri docti.

Et haud parvo honori profecto ei ducendum est, DATHENUM primarias egisse partes illos inter viros qui disjectam et sparsam ac ad extremas incitas deductam Ecclesiam componere, ordinare ac stabilire conarentur, salva autem libertate Christiana. Primae hujus Neerlandicae Ecclesiae Synodi nationalis acta fundamentum posuerunt, cui postea Ecclesiae in patria nostra regimen superstructum fuit. Quid mirum igitur, si et hoc DATHENI praesidium multum contulit ad

---

1) Cf. 'S GRAVEZANDII opus saepius a nobis laudatum; KIST et ROYAARDS, *Archief*. etc. Tom. V. pag. 309 sqq.

famam ejus nominis augendam, quod Belgarum in auribus tam diu jucunde sonavit, quippe quod cum omnium fere Ecclesiae factorum memoria aretissime esset conjunctum!

Duobus fere annis post DATHENUM invenimus concionatoris aulici munere *Heidelbergae* indutum, ubi eum Theologiae professoribus BOQUINO, OLEVIANO, URSINO celeberrimae Catescheseos Palatinae auctore, aliisque persaepe colloquendi copia ei fuit data.

Hinc factum ut et hinc litibus, quae tunc temporis *Heidelbergae* agitabantur, immisceretur, quamquam DATHENUS harum rixarum multo minus fuit particeps quam nonnulli existimarunt Historiographi.

Inter Theologos Palatinos exstiterat nempe dissensio de quaestione *excommunicationis*, quae tunc gravissima habebatur. ERASTUS, medicus, vir magnae etiam in Theologicis doctrinae, una cum NEUSERO, homine turbulento, LUTHERI olim addicto catervis, contendebat excommunicationem pugnare cum Verbo Divino ac ejusmodi sententiam fovit acriterque defendit, quae omnibus CALVINI asseclis horrenda visa est: neminem etsi sceleratissimum et in peccatis contumaciter perseverantem, a S. Coena arceri posse, nisi diversae sit doctrinae — Magistratui tantum competere jus statuit, peccata puniendi, quorum causa quis a sacrâ coenâ arceri posset. Quid mirum quod unanima voce Palatini Theologi non tantum sed etiam BEZA aliique vehementer doctrinam oppugnaverint, quae ex eorum sententia, sacramenti sanctitatem penitus infringeret ac tolleret!

Per biennium et quod excesserit hae lites sunt gestae, donec tandem iis finem imponeret Elector, NEU-



SERUM a munere suo sacro privando <sup>1)</sup>). DATHENI nomen hisce in rixis non occurrit apud Palatinatus historiographos. Attamen eum a partibus URSINI ac BEZAE stetisse, patet ex epistola BULLINGERI <sup>2)</sup>, qui sic DATHENUM allocutus erat: „Ultimis tuis ad me datis  
„litteris, PETRE DATHENE, frater in Domino dilecte,  
„quereris quod approbarim theses ERASTI contra disciplinam Ecclesiasticam scriptas, quas non tantum  
„impias esse dicis, sed etiam viam sternere ad Atheismum. Unde me hortaris atque obsecras ut data  
„aliqua occasione publice tester, me novas illas theses improbare. Quod nisi faciam, futurum, ut videar distentire non tantum a docta illa vetustate, sed etiam  
„a ZWINGLIO et OECOLAMPADIO aliisque, adeoque et cum memetipso pugnare, quare nominis mei celebritatem, non tam obscurandam, quam apud bonos  
„quoslibet penitus sepeliendam fore, atque ita pariter universos meos labores perituros, una cum fructu eorum, qui tamen aliquando toti profuerunt Belgio, doctique me plurimum amarint et de me honorifice locuti sint.” etc. <sup>3)</sup>

1) Cf. HENR. ALTINGIUS l. l. pag. 101 sqq. HEPPE l. l. Tom. II. p. 356. sqq.

2) Invenitur in libro ab ERASTO ad suam sententiam tuendam edito, cui titulus: *Explicatio gravissimae quaestionis utrum excommunicatio — mandato nititur Divino an excogitata sit ab hominibus.* Pesclavii 1589. pag. 355 sqq. (*Bibl. Rheno-Truj. Miscell. Theol.* 4°. N°. 55.)

3) Haec BULLINGERI epistola (data Tiguri l. m. Junii 1570). BRANDTIO ansam dedit scribendi (l. l. pag. 513): „PETRUS DATHENUS leefde daer in swaere twist met den vermaerden THO

Ex hisce BULLINGERI verbis sequitur, DATHENUM, quamquam nunquam cum ipso ERASTO collocutus esse videtur, una cum viris in Ecclesia reformata celeberrimis, sententiam impugnasse, cui ad unum fere omnes CALVINI sectatores sese opposuerunt. Quod sane DATHENO in vitium verti non potest. Veritas tamen exigit ut fateamur, illum hinc ut alibi ardori suo, multo magis quam par erat, indulsisse.

---

MAS ERASTUS, ja hij dreef dat d'artykelen, die ERASTUS over den kerkelijken ban gesteld hat (dewelke soo ver niet gingen als hij en sijns gelijken) niet alleen goddeloos waren, maer ook den weg baenden tot Atheisterij, dreigende den goedtaerdigen HENRICUS BULLINGERUS etc." Si BRANDTII relationem cum iis quae nos supra de rixis illis attulimus componamus, patet, e nostra quidem sententia, hunc auctorem, a tali Disciplina Ecclesiastica alienum, qualem orthodoxa Ecclesia exerceri olim voluit, hinc illis ea quae DATHENUS his in dissidiis theologicis peregerit, exaggerasse, quasi exstitisset privata prorsus DATHENUM inter ac ERASTUM dissensio. Praeterea, caetera fragmenta quod attinet, quae BRANDTIUS ex eadem BULLINGERI epistola allegavit, in quibus hic DATHENO multa minus suavia et jucunda dixit; tenendum est BULLINGERUM non tantum DATHENUM sed universe eos qui ab ejus partibus steterunt oppugnasse. Ipsius BULLINGERI denique sententia, ceteroquin magnae pietatis ac doctrinae viri, ab omni partium studio, immunis esse vix potuit, quoniam non tantum ERASTO intima conjunctus fuit amicitia sed etiam in illis rixis dijudicandis humani quid passus esse videtur, cum jam a<sup>o</sup> 1569 BEZAE scripsisset: „Non sine causa murmurant, „quod omnia fere administret princeps per *Niederlanderos* sive „*Belgas*, homines peregrinos, suis illis penitus praeteritis." Et illud, sicut caeteri Theologi Palatini, DATHENO, quem multis aliis anteposuerat Elector, propterea plus minusve invidisse suspicari licet.



FREDERICUM autem Electorem, post haec dissidia non minus quam antea, DATHENI usum esse laboribus jam subsequente anno patuit. Institui nempe voluit Elector colloquium cum Anabaptistis, quorum per Palatinatum magnus se disperserat numerus. Quo in colloquio DATHENUS tam strenue rem suam egit atque ita cum haereticis illis disputavit, ut magna S. C. doctrinae fama, quam jam ante acquisiverat, nunc latius etiam, et per Germaniam et in patria divulgaretur.

Habebatur colloquium *Francothalii*, a die inde 18 m. Maji usque ad d. 19 Junii 1571<sup>1)</sup>, cujus initio ipse Elector interfuit. Contra quindecim Anabaptistarum collocutores, e septem qui a FREDERICO mittebantur, DATHENUS pro maxima parte in colloquium congressus est, atque tribus, quibus praesidiale traditum erat munus, praecellens, non sine magna dexterritate ac sollertiâ disputationem ad finem perduxit.

Protocollum q. d. ab ipso DATHENO conscriptum, a CASPARO HEYDANO autem, qui *Francothalii* olim ejus fuit collega, in linguam vernaculam versum, omni nostrâ attentione dignum erit, quum in DATHENI dogmaticas inquiremus opiniones. Hic vero a lectore eandem patientiam, qua Francothalienses omnes 37 sessiones persequerentur, petere haud possumus.

An adfuerit etiam DATHENUS synodo, ejusdem hujusce anni mense Octobris *Emdae* habitae, a nonnullis

---

1) Cf. Protocollum cui titulus: *Protocol dat is de gansche Handelinghe des Gesprecks, te Franckenthal in der Chuervorstelicker Paltz met dien, welke men Wederdoopers noemt*, etc. 1571, s. n. l. (Bibl. Rhenotraj. Theol. 4°. N°. 123.)

in dubium vocatum est; a TE WATERO, patre<sup>1)</sup> autem asseveratur, qui addidit quoque eum et haec in synodo praesidialem occupasse sedem. Ejus sententiam tamen firmo niti fundamento haud credimus. Attamen DATHENI nomen in hujus synodi actis plus semel occurrit, quum DATHENO una cum celebri illo Wallonicae *Antverpianae* Ecclesiae antistite TAFFINO, tanquam legatis, mandaverit ut in prima synodo quae ab Ecclesia Gallica haberetur, Gallicanae subscriberent confessioni, ad Belgarum cum illis in doctrina consensum probandum.

Quod revera factum esse legimus a<sup>o</sup> 1583, synodo Gallicae Ecclesiae *Vitriaci* habita, nec tamen a DATHENO<sup>2)</sup>.

Deinde synodus *Emdana* et DATHENO suum tribuit honorificum locum inter illos scientia ac pietate praeclaros viros, qui MARNIXIO<sup>3)</sup> opem ferrent ad conscribendam Ecclesiae Neêrlandicae sub cruce historiam, quam nunquam in lucem prodiisse summopere dolendum est. Multa, quae nunc nobis obscuriora sunt, etiam quoad DATHENI, quam enarrandam habemus, vitam, dilucida nobis essent ac plana! Hoc valet imprimis de DATHENI cum principe ARAUSIACO commercio, quod, pro fontium inopia, sequente paragrapho exponere conabimur.

---

1) Cf. W. TE WATER, *Tweede eeuwgetijde der Ned. geloofsbelijdenis*, pag. 26; HERINGA, *Kerk. Raader. en Raadg.* T. III. pag. 263.

2) SCHOOCKIUS l. l. pag. 521 sqq.

3) Cf. MEINERS l. l. Tom. I. pag. 427 sqq. art. 50.



§ 5.

*De DATHENO, ARAUSIACI administro.*

Admodum probabile est Principem GUILIELMUM, inde a primo conventu, in DATHENO perspexisse hominem non tantum firmæ et inconcussæ persuasionis sed etiam haud vulgaribus ingenii dotibus præditum. Jam plus semel, ut vidimus binos inter illos viros commercium quoddam exstiterat, et postquam patriam reliquerant GUILIELMUS eloquentem Calvinistarum antistitem minime oblivioni tradidit. Verosimile enim videtur DATHENUM a<sup>o</sup> 1572 ab illo vocatum esse ut Ecclesiæ res perturbatas ordinaret.

Mense saltem Augusti DATHENUM, tanquam GUILIELMI commissarium opus auspiciari videmus, quo illis in locis quæ jam ab Hispanis desciverant, bona Ecclesiæ a monachis et episcopis relicta, sub reformatæ Ecclesiæ regimen transferrentur. Potestas, quæ a GUILIELMO ei fuit data, ita comparata erat, ut nomine principis aliis etiam tradere posset facultatem, se auspice, bona regundi ecclesiastica. *Ziericeam* misit DATHENUS JACOBUM BARSELEM, qui hac in urbe ac per totam insulam *Schouwen* q. d. templa purgaret atque receptores gubernatoresque bonorum Ecclesiæ crearet, ita ut antistibus ex iis honestus quaestus quotidianus redundaret. Proximo ejusdem anni mense (Septembris) eandem nomine Principis auctoritatem transtulit in duos *Naaldvicenses* cives, MATHIJS JACOBSEN <sup>1)</sup>

1) Vide de illo: MARCUS, *Sententien van Alba*, pag. 198.

et PETRUM MATHIJS; eujus missionis documentum, exempli gratia, hinc cum lectoribus communicare lubet. 1)

1) Copie. — Ick PETRUS DATHENUS, commissie ende bevel hebbende van den doorluchtigen ende hoochgeboren fursten ende heeren den heeren Prince van Orangien enz.: in religions ende andere saecken goede ordeninge te stellen tot vorderinge van der eeren Godts, ruste ende welvaert deszelven landts; Ende bekenne hier in 't openlijk dat ick, verstaen hebbende dat tot *Naeltwijck* die onderdaenen van hunne mispriesteren zijn verlaeten geweest ende dat die kerckgoederen ongebetert ende onbesoert waren <sup>a)</sup> ende tot gheenem proufijt onderhouden, dat ick die eersueme MATTHIJS JACOBSEN ende PIETER MATTHIJS, woenende tot *Naeldtwijck* commissie ende bevel gegeven hebbe om eenen vroomen ende godsaligen kerckendienaer te bestellen, welcke van anderen wel bekenden kerckendienaeren geexamineert ende geaprobeert soude wezen; item die geezeltelike ofte kerckgoederen die tot onderhouding van den kerckendienst ende des schoelmeesters aldaer gestijft ende gegeven zijn, te regeren, te besorgen ende verbeteren ende die te ontfangen hoe dieselve eenennaeme hebben moegen, ofte waer zij oeck gelegen zijn, omme die oeck te deztribueren ende te dispenserem ofte vuyt te geven tot dien einde voorseyd, doch alsoe dat zij daerin niet haer eyghen, maer der ghemeynte nut ende proufijte zullen soecken ende daervan zoe dyckwijls als men 't begeren zal reeckening ende bewijs doen, ende reliqua oplegghen zullen dengheenen die daertoe ordenlick gecommitteert zullen wezen, wel verstaende dat diezelve die der armer goederen ontfangen ende uytgeven, die men heylichgeestmeesters noempt, in haer officie zullen blijven tot dat daer anders in sal voorsien zijn. Begheere dacronne dat alle ende yder die eenige renten, goederen, huyzen ofte andere autaergoederen onder handen hebben der pastorie ende kercken toebehoorende, dieselve tot onderhoudinge des waerach-

a) In margine: „Dit is onwaarachtig!”



Nec mirandum est DATHENUM sibi mandatum munus, quo pro tempore tantum fungeretur, aliis tradidisse. Mox enim GUILIELMUS alios in fines ingenii, quae DATHENO inerant, dotes in salutem patriae adhiberi posse putavit.

Per duos enim annos inde a mense Octobris ejusdem anni 1572 usque ad annum 1574 inserviit DATHENUS GULIELMO fratribusque ejus JOHANNI ac LUDOVICO Nassaviae comitibus, indefessis illis patriae nostrae defensoribus ac patronis. Horum epistolae <sup>1)</sup> DATHENUM nobis ob oculos ponunt legati atque nuncii officia laudabili diligentia hisce principibus, per vices, praestantem. Nunc apud JOHANNEM *Dillenburgiae* nunc *Heidelbergae* nunc *Francofurti* nunc *Delphis* et multis aliis in locis dispersa DATHENI nos advertunt vestigia. At non erat perinde inscium quoddam instrumentum quo *Taciturnus* pro lubitu uteretur, sed e contrario occultioribus etiam nonnullis ejus politicis consiliis initatum fuisse DATHENUM testatur modus, quo de hoc

---

igen godsdienstes, den voorseyden inhebbereu deser commissie willen gewilliecklick toestellen ende verrichten ende betaelen, sonder vuytvlucht te zoucken, diewijlen die voorseyden sulcks totten saecken voorseyt in aller getrouwicheyt te [discusserend] bij haer waerheyt met handgevinde trouwe vaeztelick toegezeyt ende beloefi hebben. Tot verkont der waerheyt heb ick dit met eyghender handt onderschreven ende mijn cachet hierover gedruickt. Gedaen tot *Delft*, den 19. September 1572. Ende stondt ondergeschreven: PETRUS DATHENUS, *manu propria*. Desumta haec sunt e M.S. quod reperitur *Bruxellis* in depositorio regio — *conseil d'état et d'audience*.

1) GROEN VAN PRINSTERER I. I. Tom IV. V. passim.

loqui solebat in epistolis suis ipse GUILIELMUS. Difficillimis etiam in negotiis Princeps DATHENI consilia et auxilia nonnunquam haud contempsit. Anno 1574 e. g. ad fratrem scripsit JOHANNEM, de duce qui copiis auxiliaribus in Germania contrahendis praeficeretur. „Sed „omnia tibi relinquo atque confido, sicut et caeteris qui „nobis adsunt amicis, et prodesse tantum nobis potest „etiam D. DATHENUM hac de re consuluisse<sup>1)</sup>.

Quod sagacissimi GUILIELMI de DATHENO iudicium non approbare non possumus, memores dum simus DATHENUM a juventute inde cum pluribus Germaniae principibus varias res transegisse, ita ut apud illos magna gauderet auctoritate et prae aliis politicae Germanicae ratio ei cognita esset.

Quaecumque autem ARAUSIACO auspice in salutem patriae praestitit, ea nulla prava lueri cupidine ductus perfecit. Nummorum penuria, quâ per tot annos GUILIELMUS premebatur, probabilem reddit ipsius DATHENI affirmationem se ARAUSIACO inservientem pecuniae potius jacturam quam lucrum fecisse<sup>2)</sup>. Idem quodammodo patet ex iis, quae hic fratri suo JOHANNI scripsit (7 Sep. 1574) „si DATHENUS huc venire vel-

---

1) T. IV. pag. 392: et toutes fois je remectz le tout à vous et aux autres nos Seigneurs et amis et me semble, qu'il ne sera que bon d'en avoir aussy l'advis de Monsieur DATHENUS. Cf. T. IV. p. 217, 220, 222, 227, 228, 229, 232, 234, 237, 248. T. V. 100, 103, 112, 121, Supp. 134\*, 104\*, 154\*.

2) 's GRAVESANDE p. 154 art. 8. Hy betuycht dat hy zyn Excellentie noyt gehaetet, maar deselve op zyn eygen borse, zonder eenige recompensie, met duysent peryckelen zyns levens, veel jaren getrouwelick gedient heeft, etc.



let gratum mihi erit, quamquam magnam ei dare remunerationem minime valeo. Tibi enunciet quali frui vellet remuneratione" <sup>1)</sup>. Quam GUILIELMI oblationem, DATHENUM nunquam accepisse ex historia docemur. Forte, quominus illud munus obiret prohibuit vinculum quo PALATINO conjunctus erat. Forte DATHENUS bene perspexit prudentissimum GUILIELMUM haud raro eos ad se suamque viciniam vocare solitum, quibus, a se remotis, non plane confideret. Si de concionatoris aulici munere hoc loco locutus est GUILIELMUS, hanc principis oblationem verosimiliter rejecit DATHENUS, quum enim unquam tali GUILIELMI in aula munere functum esse ex historia non pateat. Quae DATHENI recusatio forsitan primam ansam dedit dissensionis, quam postea in grave Ecclesiae ac reipublicae detrimentum inter utrumque virum exortam dolemus <sup>2)</sup>.

Eodem fere tempore, quo in patria nostra Ecclesiasticis ac politicis inserviit, gregalium suorum haud prorsus oblitus est DATHENUS. Hoc probavit edenda sua responsione ad quaestiones, quas Lutherani antistites, vetere sua in Belgas inimicitia ducti, in lucem ediderant <sup>3)</sup>.

1) GR. V. PRINSTERER l. l. Tom V. p. 56.

2) GORTHALS (l. l. pag. 91) nobis narrat a<sup>o</sup> 1575 talem GUILIELMI oblationem a DATHENO rejectam esse. RAHLENBECK (*P>Inquisition* etc. pag. 103) DATHENUM revera concionatorem fuisse aulicum principis GUILIELMI contendit. Sed neque unus nec alter horum scriptorum fontes indicavit, e quibus relatio illa ab iis hausta sit, neque alibi hac de re mentionem fecisse historiographos invenimus.

3) Titulus sic sese habet: *Beständige Antwort etlicher Fragstück,*

Ilac in responsione idem illud pacem in Ecclesia integram servandi studium elucescit, quod in Germania degens, ut mox apparebit, omnibus fere suis actionibus patefecit.

§ 6.

*De DATHENO pacis Ecclesiae in Germania promotore.*

Uti sacrorum instauratio aliam in Germania formam induit, sic quoque, magis prospera adhuc fortuna gaudens, alia experta est fata. Cum nulla tyrannica manu uti in patria nostra opprimeretur, otium illic Theologis relictum erat, controversiis movendis et dirimendis dogmaticam excolendi doctrinam. LUTHERI sectatores Augustana confessione iterum iterumque emendata tanquam telo utebantur, contra eos qui ZWINGLI et CALVINI sequebantur castra. Hi pauci tantum numero fuere. Sed inter Melanchthonianos et Lutheranos ipsos acriter certatum est. Hac in pugna haud infimum locum occupavit FREDERICUS, Elector Palatinus. Ab omnibus fere simul oppugnatus in Augustana dieta pia ac strenua suae Catecheseos Palatinae defensione vix prohibere potuit, quominus dignitate sua Electorali privaretur. Nec ceteri Germaniae principes illum tali,

---

*so die Predicanten zu Frankfurt am Mayn, zur prob, über die jüngst zu Dresden der Churfürstlichen Sachsischen Theologen gestellte bekandnuss, in druck zur Warnung haben ausgehen lassen, durch PETRUM DATHENUM verfertiget. Heidelberg 1572 (Bibl. Rheno-Traj. Hist. Eccles, 4° N°. 201.)*



quali dignus erat, prosequerentur amicitia, ejus rei causa pro parte saltem in patrocinio, quod Elector Calvinistis exulibus, et in Francia et in Neêrlandia et in principatus sui ditione praebuerat, quaerenda videtur.

Contra *Ubiquistas* se Augustanae confessioni addictum esse semper testatus est; sed applausus, quo catechesis, ab ejus Theologis confecta, in Neêrlandia recepta erat, illum in multorum oculis suspectum reddidit, quae haud minuebatur suspicio, quum Calvinistae e variis Neêrlandiae (inprimis *Gelriae*) locis legatos mitterent, qui e Palatinatu antistites sibi requirerent. Quum igitur a ceteris Germaniae principibus sibi relictus contra Lutheranorum aciem solus staret Elector, quid mirum si in dies magis excoleretur amicitia inter peregrinos, Belgas praesertim, et Fredericum, quem eo majore veneratione illi prosequerentur, quo majore honore ac favore hic DATHENUM, Flandriae Ecclesiae antistitem, affecerat.

Inter paucos vero principes, qui discordiam in instaurata Ecclesia haud sine dolore adspiciebant, fuit pacis amantissimus ille LUDOVICUS Hassiae comes. Quamquam colloquium *Mantbrunnense*, et furor quo Flaciani Melanchthonianos persequebantur satis superque *Ubiquistarum* pertinaciam ostenderant, omnia tamen tentare haud desiit, ut inimicas partes sibi invicem reconciliaret. Ad hoc laudabile suum propositum exsequendum anno 1574 FREDERICUM invitavit, ut ipsum in instituendo colloquio adjuvaret, et Calvinistae quoque suos, qui ejus participes essent, mitterent legatos <sup>1)</sup>.

1) Cf. HEPPE l. l. Tom II. pag. 446, additam. p. 118 n°. XVIII.

Haec addens, Electori, qui experientia edoctus nil fere amplius de ejusmodi conatibus exspectabat, persuadere voluit ut ipsius votis annueret. Huic vero privatum, quale in mente habebat LUDOVICUS, colloquium minus placebat. Verebatur enim, ne Calvinistae peregrini solummodo hujus rei caussa satis longum iter facere recusarent.

Sed ad generalem Synodum, ad quam utrarumque partium antesignani concurrerent, instituendam et convocandam lubenter auxilium suum promisit. Hoc ut LUDOVICO annunciaret, ad eum concionatorem suum aulicum DATHENUM misit, qui duci *Spangenbergiae* quae in mandatis habebat tradidit. At minime in hisce acquiescendum esse LUDOVICUS ratus est. Antequam de generali Synodo cogitaretur privatum quoddam inter Theologos Germanicos colloquium haberetur prorsus necessarium illi visum est. Ne tamen plane irriti sui essent conatus DATHENUM consuluit, ejusque ope talis, quale optabat, colloquii programma constituit. Tribus *Lutheranis* collocutoribus ANDRAEAE, SELNECERO et CHEMNITIO, tres *Zwingliani*, BEZA, GUALTHERUS et URSINUS opponerent, qui in oppidulo *Wildbad* convenirent atque de iis tantum colloquerentur, de quibus nulla dissensio esset. Ceterae ad Synodum Generalem differrentur quaestiones. DATHENO, quippe qui summo apud FREDERICUM favore gauderet, hoc programma LUDOVICUS mandavit, ut ab Electore probaretur. Sed oleum et operam laboribus suis LUDOVICUS et DATHENUS perdiderunt. Exeunte mense Novembris hic ad FREDERICUM rediit, sed mensis Decembris jam praeterlapsus erat, et adhuc FREDERICI responsum, quod



DATHENUS expetebat, desiderabatur. Admonuit ergo LUDOVICUS DATHENUM, ut res festinantius apud FREDERICUM ageret; tristis vero hic respondit, se programma colloquii cum Electore ejusque consiliariis communicasse, sed FREDERICUM nonnullos ex *Helvetia* et *Sabaudia* Theologos consuluisse, qui unanima voce declaravissent, se de talibus colloquutionibus universe ac praesertim de colloquio, cujus ANDREAE esset particeps, nil bonae frugis sperare. Addidit DATHENUS praeterea Electorem suae sententiae, generalem quandam Synodum longe praefendam esse, nondum valedixisse. Mirandum sane non est LUDOVICUM aegre tulisse, quod FREDERICUS propositum a se colloquium abnueret adeoque laudabilibus suis conatibus resisteret.

„Laetor,” ita scripsit DATHENO „quod *Helvetiae* „saltem Theologi candide suam enunciaverint sententiam, se nunquam Augustanam Confessionem approbasse. Laudandi sunt prae aliis nonnullis, qui verbis „suis eam accipiunt, corde tamen suo eam rejiciunt.”

Quem hisce verbis denotare voluerit LUDOVICUS, in promptu est.

De caeteris DATHENI hocce tempore in Germania fati nihil fere scimus, nisi quod iterum legati vices impleverit, quum a<sup>o</sup> 1576 ad CONDAEUM et regem Navarrae missus fuerit, politicae fortasse magis quam Ecclesiae in gratiam <sup>1)</sup>.

Adfuit DATHENUS quoque illo in conventu, qui anno 1579 *Francofurti ad Moenum* habitus est. Lutherani placita in quibus praesertim a caeteris reformatis dis-

1) Cf. GROEN VAN PRINSTERER, l. I. Tom. VI. pag. 617.

sentiebant, novo quodam acumine circumscripta, damnatâ CALVINI sententiâ, in *Libro Concordiae* q. d. *Bergensis* exposuerant. Interea diem obierat supremum FREDERICUS Elector, et quum filius ejus major natu ei successerat, Augustanae addictus confessioni, totam hie in religione rerum faciem immutavit, ita ut Calviniani antistites Palatinatum Electoralem relinquere cogentur. JOHANNES CASIMIRUS iis patrocinium praebere haud cunctatus est, et, periculum extimescens, quod Calvinistis imminabat e tali coälitione, quam constituere sibi proposuere patres *Bergenses*, — ad ELISABETHAM *Angliae* reginam, nec non ad *Hungaricas, Bohemicas, Helveticas, Belgicas* Ecclesias — legatos misit, qui peterent ut Theologos nonnullos ablegare velent ad concionem m. Septembris 1577 habendam, *Frankfurti* a. M. — Ibi 27 d. m. l. prima aperta est sessio. DATHENO, quem CASIMIRUS *Consiliarii Palatini* titulo donaverat, ibi graphiarii fortasse munus traditum erat.

Notulae saltem quaedam ab ejus manu conscriptae supersunt. Eandem, quam semper tuitus erat sententiam — dissensionem in doctrina Lutheranos inter ac caeteros Reformatos non tanti habendam esse ut dissidium ex ea exoriretur — et hoc loco propugnavit, atque confessionem conscribere proposuit, Augustanae confessioni, quoad ejus fieri posset, consentaneam, ut hoc consensu magis in viam reconciliationis inducerentur adversarii. Haec tamen ejus sicut caeterorum Theologorum, qui hie adfuerunt, consilia irenica omni prorsus caruerunt successu <sup>1)</sup>.

---

1) Cf. GERDESII, *Scrin. Antiq.* pag. 192. sqq. Tomi. I. part. I.



At quorsum spectant ea, quae paulo fusius hinc enarravimus? Nimirum, eo ut novum inde petamus argumentum pro sententia, quam supra jam enunciavimus: DATHENUM, uti contra Pontificios bellicosissimi fuit animi, sic pacis intra Ecclesiae instauratae fines studiosum fuisse. Quod si quis in dubium vocet, is meminerit, quaeso, malorum quae Lutherani DATHENO jam *Francofurti* degenti infixerant, et haec secum reputans haud facile DATHENUM intolerantiae erga eodem Lutheranos accusaverit. Ac sane! si revera talis pacis perturbator fuisset DATHENUS, qualem plerique eum depingunt Historiographi, neque FREDERICUS pacis amore imbutus, cum ad colloquium *Maulbrunnense* secum adduxisset; neque LUDOVICUS suum pacificandi opus una cum eo incepisset, neque ipse DATHENUS strenuum huic principi praebuisset auxilium.

§ 7.

*De iis, quae DATHENUS, in patriam a. 1578 redux, cum in Ecclesiae Reformatae Belgicae commodum, tum in ejus detrimentum perfecit.*

Quod de gravissimo munere, GUILIELMI principis humeris imposito, verissime dici potest, id humanas fere vires superasse, hoc vel maxime de anno 1578 valet. Vinculum enim quod pro tempore unius ejus-

---

HENR. ALTINGII, l. l. pag. 142 sqq. J. W. TE WATER, *Ref. van Zeeland*, pag. 85.

demque populi filios, communis hostis formidine et odio junctos, ligaverat, magis magisque religionis discrimen laxare coepit. *Hispaniae* rex, bello defessus, moderatior et aequior factus, pacem proponit, quae Romano-Catholicorum animos ad se allexit. Hujus pacis conditiones ita erant comparatae, ut politicae suae amittendae libertatis metus, eos diutius vix abstertere posset. Contra si bellum continuaretur ne sua fides multum detrimenti caperet, haud sine causa verebantur. In *GUILLIELMO*, quem reformatis magis quam sibi favere suscipabantur, omnem suam fidem reponere non possunt. Ut ab hoc liberentur metu, nobiles, principi haud unam ab causam invidiosi, *MATTHIAM Austriae* in patriam advocant archiducem. Sed mox *GUILLIELMI* sagacitas in pedissequum fere suum mutavit, qui ejus rivalis vel adversarius evaderet. Nobiles spe sua frustrati eodem consilio *ALENCONIUM* e Gallia arcessunt. Sed rursus se fefellerunt. Princeps ipse *ALENCONII* Galliaeque regis patrocinium lubenter amplecti visus est. E Gallia tantum auxilium exspectandum esse persuasum sibi habuit. Calvinismi in nostra patria triumphus Germanicorum principum mentem valde mutaverat. Angliae regina *ELISABETHA*, politice causis inducta, spem reformatum in Belgio plus semel deluserat. At licet *GUILLIELMUS*, *ALENCONIUM* tanquam gubernatorem et principem salutans, patriae liberationem et salutem haud dubie ob oculos haberit, hoc ipso tamen Calvinistis, qui, sin minus numero, potestate saltem ceteris praevalebant, suspectum se reddidit. Tolerantia non erat ejus aetatis. Reformati perinde ac Pontificii sibi tantum jus competere credide-



runt, plena fruendi libertate aliosque, quicumque a sua fide discederent, arcendi. Quod in menteolvebat summus Princeps ac Pacificatione Gandavensi nec non Unionibus Bruxellensibus firmum et ratum facere frustra conatus est — aequalia nempe privilegia utriusque concedere religionis sectatoribus — id reformatis ac pontificiis pariter displicuisse historia testatur. Uti Reformati ALENCONIUM, utpote Romano-Catholicum principem, aversabantur, sic quoque aegre ferebant, quod GUILIELMUS ante omnia antistitum ardorem coercere studebat, ne hi male sano suo studio detrimenti quid afferrent rei publicae.

Talis rerum cum politicarum tum sacrarum conditio erat, quum ad Ecclesiae regimen constituendum Dordraci Synodus nationalis convocaretur, prima quae in Neerlandia septentrionali est habita. DATHENUS nuper e Germania in patriam reversus electus fuit Synodi praeses. Hujus insignis in DATHENUM delati honoris variae fuere caussae.

Quantum laboris DATHENUS in Ecclesia stabilienda collocaverat, supra jam vidimus; quod ad fidei doctrinaeque sanitatem attinet, admodum bona gaudebat fama; insuper missus erat a coetibus *Frangothaliensi*, *Sancti Lamberti*, aliis, qui classem constituebant, e qua praesidem eligendum fore prior Synodus Nationalis (*Emdae* habita) decreverat. Denique haud prorsus improbabile est habendum, hujus Synodi socios de tali viro, qualem se in Germania praestiterat DATHENUS, sperasse fore ut ille, prae ceteris jura Ecclesiae ac libertatem antistitum adversus politicos, GULIELMUM inprimis, strenue propugnaret.

Synodus haec Dordracena <sup>1)</sup> d. 2<sup>o</sup>. mensis Junii a. 1578, primam suam sessionem habuit. *Vesaliensis, Emdanae et Dordracenae* Synodorum decreta pro maxima parte confirmavit. Temporum autem mutatae conditionis rationem quoque habuit, ac nonnulla vel prorsus mutavit, vel arietioribus circumscripsit limitibus, quibus statutis haud pauca insunt, quae etiamnum in Ecclesia nostra auctoritate valent. Wallonicis nunc primum ex hujus Synodi decreto privum quoddam concessum est regimen. Quae jam antea erat approbata Datheniana Psalmorum versio, nunc in Ecclesiae usum est sancita et introducta, exceptis nonnullis, quae DATHENUS versioni suae adjecerat, carminibus, quippe quae e Codice sacro non essent petita. Quod decretum non tantum ex eo explicandum videtur, quod MARNIXIUS nondum suam ediderat, Dathenianae longe anteponendam, versionem, sed magis etiam e singulari auctoritate, qua tunc gaudebat DATHENUS, <sup>2)</sup> qui hoc temporis puncto (quod sane praesagire non potuit) culmen honoris jamjam imminuendi attigerat.

Ab hac synodo ad Gandavensem Ecclesiam delegabatur; quam tamen missionem explere cunctatus est usque ad mensis Septembris initium. Mense Augusti medio Rhenotrajecti nos advertit, ubi, ut paucis narrare lubet, Calvinistarum, qui frustra huc usque aedem sacram intra urbis muros sibi pctierant, caussam coram Magistratu tuitus est.

Hac in urbe coetui quem sibi comparaverat, puri-

---

1) Vide hujus Synodi acta apud BOR. Lib. IX. pag. 981—986.

2) Plura hac de re dabimus infra.



orem Euangelii doctrinam nunciabat HUBERTUS DUIFHUSIUS, qui fraternum ac veritatis amorem feliciter iungens aliisque inculcans, pacifica sua indole, eloquentia haud fucata, vitae morumque integritate ac tolerantia erga Romano-Catholicos, pariter inclaruit. Quum igitur Fratres Minores, populo prae ceteris monachorum ordinibus odiosi, pastorem illum conviciis suis prosequi haud desinerent, urbe migrare sunt coacti. Quo facto monasterium, quod inhabitaverant, aliquamdiu vacuum remansit. Simulac DATHENUS Rhenotrajectum advenerat, hanc opportunitatem ambabus veluti manibus arripiens, efficere conatus est ut reformati aptum Dei colendi nanciscerentur locum. Die 16 Mensis Augusti, densa stipatus Calvinistarum caetera, ad Magistratum se contulit, atque Fratrum Minorum ab iis petiit coenobium. Petitio nec plane abnegata nec tamen concessa fuit. Quae Magistratus haesitatio Calvinistarum excitavit audaciam, ita ut abeuntes, „se sperare” dicerent, „fore ut Magistratus aegre non ferret si quid boni perpetrassent.” Dolo quodam claves monasterii nacti, custodes in aedificio collocarunt, et subsequente die milites a Magistratu emissi ipsum DATHENUM coram magno auditorum numero concionantem, stupefacti videbant. Magistratus seditionis metui indulgens Calvinistis concessit monasterium. Haud diu DATHENUS Rhenotrajecti remansit, sed patrocinium, quod reformatis tam tempestive praebuerat, effecit ut et hic haud parum ejus valeret auctoritas, quae etiam increvit, quum subinde, dum in patria versaretur, huc rediret, et Ecclesiae Reformatae jura contra

DUIFHUSIUM tueretur <sup>1)</sup>). Verosimiliter etiam postea, quum rixae exarserant *Duifhusianos* inter ac *Consistoriales* vim suam exercuit in Calvinistas<sup>2</sup> haud prorsus irenicam. Nec mirum! Ob magnam, qua DUIFHUSIUS in ceremoniis admittendis utebatur, libertatem, huiusque Ecclesiasticae disciplinae contemptum, mox Anarchiam Ecclesiae imminere persuasum sibi habebat DATHENUS. Utrum Synodi jussu an vero suo Marte *Ultrajecto Amstelodamum* profectus sit nos latet, sed mense Augusti exeunte illum hac in urbe commoratum esse, exinde sequitur, quod postremo hujus mensis die duos, qui coctui Amstelaedamensi juncti fuere, inauguravit antistites: JOHANNEM CUCHLINUM et PETRUM HARDENBERGIUM. Fuerunt qui tumultus, paucis diebus post exorti, DATHENUM auctorem existimarent, quod tamen probari nequit, ac ipsius DATHENI epistolâ, eodem hocce tempore conscriptâ, valde improbable redditur <sup>2)</sup>).

Interea increscens qui *Gandavi* aderat Calvinistarum numerus, exsulantium reditu insigniter auctus, in dies Pontificiis infensor factus erat. Iteratis vicibus populus furibundus aedes sacras aggressus erat. Imagines destruebant, divitias rapiebant ac praedabantur, ipsos clericos ex urbe pellebant ex infima plebe hominum

1) Off. KIST EN ROOYAARDS I. I. Tom. VI. p. 197 sqq. BOR, T. XXI. pag. 332. FOPPENS, *Bib. Belg.* II. 972.

2) Off. YPREIJ EN DERMOUT, *Gesch. der Ned. Herv. kerk.* Tom. II. pag. 19; KOK, *Vaderl. Woordenboek* in voce, et *Amstedams eer en opkomst door de Hervorming*; WAGENAAR, *Beschrijv. en Gesch. van Amst.* Tom. IV, pag. 112, nec non KIST EN ROOYAARDS, *Archief.* etc. Tom. VIII. pag. 451, sqq.



turbæ insano quodam furore correptæ. IMBYSIO et RYHOVIO auctoribus et ducibus, civitas Gandavensis reipublicæ plane democraticæ formam induerat, ac jus vicinis etiam urbibus dominandi sibi arrogaverat.

Huc redire, ubi ejus præsentia quam maxime a Calvinisimi sectatoribus desiderabatur, nunc sibi proposuit DATHENUS. In itinere suo principem GUILIELMUM *Antverpiæ* <sup>1)</sup> offendit, cui DATHENI hoc tempore in perturbatam Gandavensium urbem iter valde displicuit. Neque illud ARAUSIACUS dissimulavit; verebatur enim ne DATHENI fervida, quam bene cognitam habebat, eloquentia populum ad novos incitaret tumultus, quibus suos ad quietem revocandam et tolerantiam erga Romano-Catholicos commendandam conatus irritos redderet.

Sed præterea DATHENUM synodi Dordracenæ præsidem, qui jura Ecclesiæ adversus politicos ardentè defenderat, suæ apud cives Gandavenses auctoritati magis nocituram quam profuturam esse facile suspicari potuit Princeps.

Minime vero DATHENUS ei obtemperavit, quum totius synodi jussu Gandavensi Ecclesiæ inserviendi munus ei esset impositum. Quæ verba GUILIELMO haud prorsus satisfecisse facile intelligitur. A pristinis autem suis gregalibus, magno cum gaudio receptus est DATHENUS, quum mensis Septembris sub finem *Gandavum* rediret, et ingens auditorum turba in S<sup>ci</sup> Bavonis templo primum ejus audiret sermonem <sup>2)</sup>.

1) 's GRAVESANDE, l. l. pag. 155. art. 10.

2) *Gedtsche Geschiedenissen*, Tom. II. pag. 53.

Inter eos, qui DATHENI orationes sacras summa cum voluptate audire videbantur, fuit imprimis civitatis Gandavensis praesul et gubernator JOHANNES IMBYSIUS, homo ambitiosissimus, atro carbone in historia notatus et notandus, qui pietatis ac sanae fidei, quem simulavit, amore pravas animi cupiditates obtegebat. Omnes fere suos populares decepit IMBYSIUS iste; ac tali cum successu hypoeritam egit, ut DATHENUS quoque (eujus flagrante purae conservandae religionis studio uti vel potius abuti haud erubuit) eum pro sincero reformatae fidei patrono haberet <sup>1)</sup>.

Hoc nomine uterque prorsus idem sentiebat: pacem religionis q. d. esse rejiciendam. Hanc neque optavit nec optare potuit IMBYSIUS, quâ scilicet Ecclesiae bona Pontificii vi ademta restituere cogretur. Hanc aliis, et dogmaticis prorsus rationibus ductus, salvâ conscientîâ accipi non posse alta voce clamavit DATHENUS, qui furore suo obcoecatus GUILIELMI principis conatus ad partes sibi inimicas reconciliandas, *impios* dicere nullus dubitavit, ipsumque Principem *atheum* vocitare ausus est <sup>2)</sup>.

Caveamus tamen ne DATHENUM solum vel paucos tantum fuisse putemus, qui religionis pacem improbarent et rejicerent. Pariter illam Pontificii ac Reformati aversati sunt, quod acerbissimis dissidiis quin bello infausto

---

1) 'S GRAVEZANDE, l. l. art. 14. eff. artt. 16, 25, 26, 27.

2) Cff. E. VAN REID, *Hist. der Ned. Oorloghe*, etc. pag. 20. *Gendsche Geschiedenissen* p. 72, BEAUFORT, *Het leven van Willem I. L. IX.* 209. all. 'S GRAVEZANDE, l. l. art. 28. GROEN VAN PRINSTERER, l. l. Tom. VII. pag. 79.



Wallones ac Gandavenses inter ansam dedit. Illi ex animo oppugnaverunt pacem, quae verae *Catholicae* fidei jura imminuere iis videbatur; hi autem ne idololatria Romano-Catholica denuo instauraretur verentes, sacrilega manu templa spoliarunt. Bello inde exorto, Gandavenses legatos, qui auxilium peterent, ad JOHANNEM CASIMIRUM Palatinum miserunt, qui magnum totius in reipublicae damnum iis morem gerere non cunctatus est.

Aegre hoc tulit ALENCONIUS, qui cum copiis suis bene instructis atque armatis Belgium ingressus orat ad Hispanicum debellandum hostem. Quum tamen CASIMIRUS illius petitionem ut exercitui Ordinum foederatorum, nuper congregato, se adjungeret, contemneret, iratus ALENCONIUS milites demisit, qui Wallonicis copiis inservirent. Sic factum, ut exercitus ille satis magnus, qui contra Hispanos in aciem processurus esset, fere totus evanuerit.

Utrum DATHENUS unus e legatis fuerit, qui CASIMIRUM ut *Gandavum* veniret, precati sint, dubitamus. Nihil tamen illud scire interest: DATHENUM enim CASIMIRI domini sui ac patroni, orthodoxae insuper fidei propugnatoris adventu gaudio exsultasse, dubio caret <sup>1)</sup>.

DATHENUM una cum IMBYSIO atque caeteris fervidioribus Calvinistis in mente habuisse dicunt nonnulli, CASIMIRO offerendi comitatum Flandriae. Difficile est hac de re pro certo aliquid affirmare. Con-

---

1) Cf. KERVIN DE VOLKAERSBEKE et DIEGERICK, *Documents historiques inédits concernant les troubles des Pays-Bas*, Tom. I. pag. 349. BLOMMAERT, *Balladen, refereinen* etc. passim; 'SGRAVEZANDE, l. l. art. 21—24.

stat populum Romano-Catholicum, DATHENO infestum, ei talia tribuisse consilia. Ipse quidem illud negat, valde tamen probabile est DATHENO quam maxime arrisisse talem in patronum suum collatum honorem.

Quam misere Gaudavensium nec non DATHENI spem et expectationem eventus fefellit, quis nescit? CASIMIRUS, ut ELIZABETHAE Angliae reginae, in cujus reprehensionem incurrerat, actionum suarum rationem redderet, in Angliam se contulit. Hic quidem amice receptus, honoribusque cumulatus est, at quum inde in patriam nostram reverteretur, copias suas jam e Belgio abiisse cognovit; quo facto CASIMIRUS in Palatinatum rediit.

In primis tamen hic CASIMIRI *Gandavi* adventus ARAUSIACO principi offensioni fuit ac displicuit. In promptu enim erat Calvinistas quam maxime CASIMIRI auxilium sibi optasse, quoniam hunc candidiorem etiam GUILIELMO orthodoxae fidei patronum haberent. Ac sane eos tali viro diffidisse, qui solus in tot tantisque periculis patriam servare et voluit et potuit, magno pere dolendum est. Frustra MARNIXIUM iterum iterumque ad Gandavenses misit princeps, ut pacis quam iis proposuerat articulos acciperent. Hi illud constanter recusarunt, nisi per omnes Septendecim Neêrlandiae provincias Romano-Catholici pariter liberum Evangelii renovati cultum approbarent vel saltem tolerarent.

DATHENUS, qui inde ab initio maximo ardore principis consiliis se opposuerat, cum MAENIXIO, ut videtur, minus amice collocutus est. Infausti igitur ominis illi GUILIELMI adventus fuit, quum hic tandem d. 2<sup>o</sup> m. Decembris a. 1578 ad tumultus sedandos urbem



intraret<sup>1)</sup>. Pro tempore DATHENUS alio cessit (verosimiliter Rhenotrajectum se contulit), quamquam ipso, quo Princeps advenit die, *Gandavi* adhuc fuisse videtur. Vix autem hic, pacto quo reformatis ac Pontificiis aequalia concedebantur jura edito, urbi validerat (d. 19. m. Jan. 1579) quin DATHENUS, eodem contra Romano-Catholicos ardore flagrans, relictam suam sedem occupaverit. Pauca quae de DATHENI hoc tempore in coetu Gandavensi laboribus ad nostram notitiam pervenerunt, satis superque probant, dissidium DATHENUM inter atque ARAUSIACUM magis magisque increvisse. Quo magis autem animum a GUILIELMO avertit eo arctius et conjunctius ejus exstitit cum IMBYSIO commercium.

Nec tamen, ut jam verbo monuimus, DATHENUS solus erat, qui GUILIELMO ejusque consiliis diffideret. In omnibus fere Flandriae locis, ubi reformati a Pontificiis opprimebantur, plerique antistites GUILIELMUM fidei, cui ipse addictus erat, reformatae causae defuisse, una cum DATHENO existimarunt et conquesti sunt.

Ad quam GUILIELMI negligentiam, ut putarunt, corrigendam d. 26. m. Februarii a<sup>o</sup>. 1579 *Gandavi* congregati sunt plurimi Flandriae antistites, qui DATHENO praeside ac duce de mediis oppressae Ecclesiae salvandae deliberarent<sup>2)</sup>. Decretum tandem fuit hocce in conventu epistolam Ordinibus Hollandiae et Zeelandiae supplicatoriam mittere. Quibus in litteris miserrimae

---

1) *Gedtsche Geschiedenissen*, T. II. pag. 88. cf. 's GRAVEZANDE, l. I. art. 30.

2) Cf. *Zeeland*, Jaarboekje voor 1853. pag. 51—111.

Ecclesiae in Flandria conditionis culpam praesertim in GUILIELMUM principem ejusque socordiam rejiciunt et cum Ordinibus communicant, se etiam atque etiam Arausionensem praecatos esse, ut hic publice reformatorum patronum se profiteretur. Deinde apud laudatos Ordines instant, ut non tantum GUILIELMUM ad majorem in fide reformata protegenda ardorem incitent, sed ipsi quoque consiliis factisque oppressae Ecclesiae opem ferant. Primus huic epistolae subscripsit DATHENUS; sequuntur nomina antistitum, qui variis e Flandriae locis *Gandavi* hocce die erant congregati.

Plus uno nomine haec congregatio et litterae ab illa datae nostra attentione dignae sunt habendae. Licet enim illa verosimiliter DATHENO auctore fuerit convocata, hunc tamen non prorsus partium studio indulgisse, quum GUILIELMUM reprehendendum et carpendum esse duceret, nobis quidem iudicibus, vel exinde apparet, quod tot viri, quietae ceteroquin indolis ac GUILIELMI partibus addicti, huic epistolae nomen dederint.

GUILIELMO tale antistitum Flandricorum diffidentiae testimonium offensionis ac dolori fuisse, ejusque animum indignatione quin etiam irâ in DATHENUM commotum esse haud difficile est intellectu. Jam antea, invito ipso Principe, DATHENUS *Gandavum* erat profectus et magis magisque GUILIELMI menti clarius est factum, rumores de ejus cum IMBYSIO commercio haud fictos esse, nec sollicitudinem, quam inde animo conceperat, firmo eheu! caruisse fundamento.

Ubicunque enim GUILIELMUS reformatos ad majorem erga Pontificios tolerantiam hortabatur, DATHENUM sibi



adversantem habuit, qui omni sua auctoritate apud Calvinistas utebatur, ut eorum animos suspicione malae fidei Principis imbueret. Quid? quod etiam fama divulgatum erat, eum publice de GUILIELMO contumeliosis usum esse verbis.<sup>1)</sup>

Quanam indignatione Princeps ad has DATHENI incriminationes responderit, epistola ab eo sub finem m. Julii civibus Gandavensibus data, palam atque aperte testatur<sup>2)</sup>.

Interea Gandavi urbs, cui Wallonici (*Malcontenti* q. d.) magis magisque foris imminebant, haud minus intestinis dilacerabatur dissidiis. RYHOVIUS, qui antea ab IMBYSII steterat partibus, sed sensim GUILIELMO Principi magis se addixerat, majori civium parti existit auctor, ut IMBYSII ambitioni ac lubidini certideneque ponerentur fines. Ipsum IMBYSIUM igitur in carcerem conjiciendi iniit consilium, quod, annuente GUILIELMO, fere perfecisset, nisi Gandavensis plebs repente dilectissimum suum liberasset tribunum. Quo facto, magis quam antea populi amore fretus, omnibus viribus id egit, ut partem quae Principi adhaerebat atque hujus in urbem adventum summopere optabat, plane subigeret. Militum copias in urbem introduci curavit, et tandem, spretis legibus, ipse primarium se creavit scabinum. Quam ut arrogantiam suam, legalitatis quadam specie indueret, DATHENUM una cum tribus ipsius collegis noctu ad se arcessivit, qui et haec in re Magistratui obediendum esse putaverunt<sup>3)</sup>.

1) GROEN VAN PRINSTERER, l. l. Tom. VII. pag. 33 sqq.

2) l. l.

3) *Gendtsche Geschiedenissen*, l. l. pag. 166.

Horum temporum chronica atque etiam carmina popularia IMBYSII contumaciam antistitum illorum, praesertim autem DATHENI, consiliis ac instigationibus tribuerunt<sup>1)</sup>. Haud pauci e recentioribus historicis, DATHENUM IMBYSIUM fere semper excitasse ac instigasse ad omnia, quae hic magnum reipublicae in detrimentum perpetravit, statuere vix dubitant.

Ab altera parte ipse DATHENUS<sup>2)</sup>, ingenue testatur: nullum unquam aliud se inter ac IMBYSIUM existitisse commercium, nisi quod ad illum se contulerit, tanquam ad Magistratum suum, quum ab illo fuerit accessitus; nihil omnino se unquam scivisse de secretis IMBYSII consiliis, quocum scilicet de reipublicae rebus nunquam collocutus sit; quem potius semper adhortatus fuisset, ut Ecclesiae, scholarum ac pauperum res ea, qua par esset, cura tueretur<sup>3)</sup>.

Perdifficile est ex hisce tam diversis et a se invicem alienis testimoniis veritatem quasi eruere et effodere. Quenam enim fides est habenda vagis hisce rumoribus qui, in populo dispersi ad unum fere omnes a Romano-

---

1) BLOMMAERT, l. l. *Gedtsche Gesch.* l. l. pag. 171.

2) S'GRAVEZANDE, l. l. „Hij verclaert dat hij eens bij ontyden met noch vyf ofte ses andere predicanten ten huuse van EMBIZE geroepen wierdt; daer sommige schepenen ende anderen van de 18 mannen sulcke poincten beraenden; maer dat hij, daertoe niet geraeden heeft, overmidts hy tot dier tyt nyet een mensche en kende tot sulcke officien bequame; ende doe sulcx geschiet was, ende sommige t'onvrede ware, seggende dat de privilegien daer door gevioleert waren, enz. soo heeft hy ten besten gesproken om oproer en seditie te verhinderen.”

3) l. l. art. 25—27.



Catholicis repetiti sunt scriptoribus, quos ad *IMBYSII* crimina reformatorum antistitibus tribuenda procliviores fuisse supponere haud veremur. *DATHENUS* autem, invitis ipsius collegis, nihil egit, qua de re postea satis honorificum hi illi dederunt testimonium.

Quae cum ita sint, sic statuendum esse videtur: *IMBYSIUS* optime perspexit, non parum sibi profuturum esse, si Calvinistarum antistites suas amplecterentur partes. Quos igitur iteratis ad se arcessivit vicibus, ut populus putaret eum nil nisi annuentibus Evangelii praeconibus peragere, dum ipse eorum ardore pro verae fidei conservatione ad sua ipsius consilia peragenda abutebatur.

Mirandum igitur non est *DATHENUM*, primarium inter fratres, persaepe cum illo collocutum esse, quod populo fortassis dedit ansam credendi, omnia illa quae *IMBYSIUS* perficeret a *DATHENO* esse praeparata.

Sed aliud praeterea erat vinculum, quod *DATHENUM* aetius quam ejus collegas cum *IMBYSIO* conjunxit; communis nempe diffidentia, nisi utriusque erga *GUILIELMUM* animi sensus odium potius sit nuncupandum.

In acerrima, quae diversas inter Gandavensium partes exorta erat, dissensione, qua scindebatur in contraria studia vulgus, quum altera pars *GUILIELMI* auxilium implorandum esse, altera vero, *IMBYSIO* duce, nil boni de illo sperari posse clamitaret, *DATHENUM* cum ambitiosissimo tribuno fere semper fecisse, non est quod miremur<sup>1)</sup>.

1) *Gendtsche Geschiedenissen*, l. l. pag. 171.

Utrum ipse DATHENUS auctor habendus sit libelli istius, in quo quatuordecim rationes exponi curaverat IMBYSIUS, quae interdicebant, quominus Princeps in urbem vocaretur, in dubium vocandum est <sup>1)</sup>. Alii enim ajentes, alii negantes suam hac de re ediderunt sententiam. Ipse DATHENUS se fuisse auctorem firmiter negat. Quidquid hac de re statuendum sit, hoc constat, DATHENUM haud unam ob causam Principis iram extimuisse, quare die 13 m. Augusti urbem reliquit, postquam collegis suis atque Magistratui valedixerat, atque ad Coetum rediit Francothaliensem.

In itinere, *Coloniae Agrippinae*, aliquamdiu commoratus, ea ex urbe, binas ad Arausiacum principem scripsit epistolas, haud uno nomine nostra attentione dignas. Coram Deo, in illis, se omnium eorum, quorum cum accusaverat GUILIELMUS, insontem atque paratum esse profitetur, ad se ab omni incriminatione purgandum coram iudice, qui ab omni partium studio immunis esset. Deinde suam ex urbe Gandavi fugam excusat, ipsi GUILIELMO in memoriam revocando, quid hic ei minatus sit Princeps. Si hisce DATHENI verbis fides habenda est, GUILIELMUS IMBYSIO ac DATHENO indicasset eos mortis poenâ affectum iri, quin instrumenta ad hocce mortis supplicium jam parata, ipse se jam ante oculos habuisse testatur DATHENUS. Jam vero minime verosimile est DATHENUM talia principi objecisse, nisi haec revera res fuissent in facto positae; ac in responsione suâ DATHENO missa, ne verbo

---

1) Ibidem l. l. pag. 176. Cf. s'GRAVEZANDE l. l. pag. 158. art. 29.



quidem monet Princeps ea vel ficta vel veritati opposita esse.

Vehementibus igitur GUILIELMUM in DATHENUM invexisse minis accipi debet, quae quidem non parum invaluerunt ad dissensionem Principem inter ac pristinum ejus administrum augendam. Haud diu postquam hic priorem, de qua locuti sumus, GUILIELMO miserat epistolam, denuo calamum arripuit atque altera vice GUILIELMO obtestatus est, ne Princeps propter suam absentiam ipsum reum haberet atque ejus defensionem audire recusaret <sup>1)</sup>.

Dolore quodam affectus, quod tot tantaque Principem inter ac se ipsum exorta essent dissidia, praeterea suae vehementiae poenitentia ductus ad scribendum forsán fuit incitatus. Si revera autem tali sensu per breve tempus fuerit commotus, mox alius in DATHENO praevalebat animi affectus.

In epistola nempe primo m. Septembris die ad ABRAHAMUM VAN KLEEF, civem quendam Rheno-trajectinensem conscripta „se conscientia gaudere haud contaminata” gloriatur, „rixasque se inter ac GUILIELMUM oriundas esse ex eo, quod omnes suas vires ad Antichristi regnum evertendum intenderat” <sup>2)</sup>. Superbiâ quadam sane inflata haecce DATHENI verba viden-

---

1) Vide illarum epistolarum fragmenta apud BRANDTIUM, l. l. pag. 640, sqq.

2) l. l. „Ik danke Godt, dat ik niet alleen' een goede conscientie hebbe, maer dat' er niemant in de gansche Neerlanden is, die my, myner leere of myns levens halven, in 'tgerinste weet te straffen, gelyk het getuigenisse 't welk my de gemeente

tur. Teneamus autem illum, ubi erga Pontificios tolerantiae sese opponeret, revera laudabile se perfecisse opus, persuasissimum sibi habuisse, quare et nunc pro vera fidei defensione quasi martyrium subire putavit.

Quod autem epistolis suis petiverat a Principe, quinempe arbitrum vel judicem indicaret ad litem inter se invicem dirimendam, id mox DATHENO concessum fuit, sicut patet ex GUILIELMI eodem die m. Septembris datis litteris<sup>1)</sup>. Sed nunquam coram tali iudice rem suam egisse DATHENUM perquam probabile est, sive quia ipse talem reformidaverit inquisitionem, sive quia Prin-

---

van Gent heeft medegedeelt, met sich brengt. Alleen ben ik in ongenade des Heeren Prinscn van Oranje gekomen; daer ik geen oorsaeck van weet dan dese dat ik met gheeler herte Godts eere socht te vorderen; en 'tryke des Antichrist, 't welk door Godts wonderlyke werkinge was uitgeroeit, nooit heb konnen, noch willen helpen, of wederom oprèchten. Daerbenevens dat ik van herten gesocht hebbe, dat het vaderlandt moght verlost worden niet alleen van de Spaensche, maer ook van de Fransche en allerlei andre Tiranne."

1) GROEN VAN PRINSTERER, l. l. Tom. VII, pag. 80 sqq. . . . .  
Wy sullen seer geerne sien dat ghy U begeft in eenige plaetse bequaeme om U te entschuldigen alwaer wy niet en laeten sullen te scinden, niet twyffelende daer deure en sal genouch offenbaer worden die mishandelinghe die ghy, soo in dese voorseide steede als elders gepflegt hebt, genouch verstaende die misdaeden van diewelcke die kercke behoert kennisse te nemen ende den Magistraet vermach te oordeelen, naer die kayserliche en wereltliche rechten, etc. Nonne e postremis hisce verbis suspicari liceat, DATHENUM inter ac GUILIELMUM quodammodo agitari quaestionem de juribus reipublicae ac Ecclesiae?



ceps in illa, qua tunc respublica versabatur conditione, multas ob causas talem investigationem minus optabilem duxerit. Optime enim praevidit Taciturnus, DATHENUM sacri codicis effatis se purgaturum ac Calvinistarum applausum nacturum esse.

In Germania ad CASIMIRUM, patronum suum ac amicum, redux DATHENUS, una cum BEUTERICIO consiliarii apud ducem Palatinum honore denuo indutus est, magnaue apud illum gavisus est auctoritate. Quomodo autem illa usus sit DATHENUS sequente debebimus paragrapho.

§ 8.

*De DATHENI cum GUILIELMO principe rixis.*

Ab eo inde tempore, quum copias suas secutus esset CASIMIRUS, et Neêrlandicas reliquisset regiones ita exacerbatus ac GUILIELMO iratus fuit, ut eum ne salutaverit quidem neque ei valedixerit. Amicitia inter ambos principes sensim sensimque diminuta ac debilitata, et dissensio inter eos exorta erat, qua suum in commodum uti conabatur PHILIPPUS Hispaniae rex. CASIMIRUM nempe hic inducere tentavit ut suo cum equitatu ipsi auxiliaretur ad Galliae regem debellandum. Tali propositioni non alienam plane praebuit aurem CASIMIRUS. Speravit enim fore ut ejusmodi auxilium praestando, Huguenotis prodesset non tantum, sed etiam ALENCONIUM prohiberet, quominus hic oppressae Neêrlandiae patrocinium praeberet, quod ab omnibus fere reformatis minime desiderabatur. GUILIELMUS vero

princeps omnibus viribus id egit, ut ALENCONIUM causae patriae conciliaret, in quem fere omnem sibi adhuc relictam spem reponebat. Quis igitur non intelligit, quam ira ac indignatione commotus fuerit Princeps, quum audiret DATHENUM una cum BEUTERICIO ac IMBYSIO per totam fere Germaniam calumnias et rumores dispergere, qui si acciperentur, omnibus ipsius consiliis ac conatibus obicem ponerent<sup>1)</sup>!

Quoad partes, quas DATHENUS per hocce temporis spatium in Germania egit, multa adhuc in tenebris latent. Dispersis hac de re relationibus inter se compositis, e nostra quidem sententia palam fiunt quae sequuntur.

DATHENUS, postquam ad CASIMIRUM redierat, indefessus ei exstitit suarum ipsius calamitatum narrator. Iterum iterumque querendo quam quantaque contumelia ac iniquia a principe erat affectus, tali de GUILIELMO CASIMIRUM imbuit opinione, quasi ille vir habendus esset, qui politicis tantum rationibus obediens, veram verae fidei salutem neglexisset. Quod suum de Principe iudicium ut probabilius etiam redderet, hujus cum ALENCONIO commercium CASIMIRO proposuit, tanquam Deo minime placens, quippe quod ad idololatriae institutionem necessario duceret. CASIMIRO contra, uti contendit, soli verae fidei in Germania patrono, impositum esset officium Dei ipsius honorem propugnandi, arcanis GUILIELMI consiliis sese opponendo. Quae non tantum DATHENUS, sed etiam BEUTERICIUS, magna

---

1) GROEN VAN PRINSTERER, I. I. Tom. VII, pag. 301. VIII. pag. 28.



quoque apud CASIMIRUM auctoritate pollens, ac IMBYSIUS qui *Francothalii* degit, Palatino etiam atque etiam proponere haud desierunt.

Hujus erga GUILIELMUM diffidentia hisce stimulis non parum fuit aucta, praesertim quum ad unum fere omnes qui in Germania dispersi erant Belgae, ALENCONIUM Romano-Catholicum tanquam Neêrlandiae libertatis defensorem recipere recusarent<sup>1)</sup>.

Quae ut tolleretur rerum conditio, CASIMIRUM GUILIELMO reconciliare totus studuit JOHANNES *Nassaviae* comes. Hic et ipse ALENCONIO minus favens, ac Calvinistarum opinionibus magis quam ipsius frater, addictus, mediatoris inter ambos egit partes. Quam dissensionem quum pro magna parte dissidio adscribendam esse duceret, quod tandiu exstiterat GUILIELMUM inter et CASIMIRI consiliarios; quumque ipse CASIMIRUS inter reconciliationis condiciones recensisset,<sup>2)</sup> ut Princeps illis suis administris satisfaceret; JOHANNES iterum iterumque in epistolis fratri missis eum precatus est ut DATHENO BEUTERICIO ac IMBYSIO ignosceret, ac optima de iis sperare vellet. Ad epistolas GUILIELMI, in quibus Princeps haud sine quodam contemptu de triumvirorum istorum calumniis se enunciaverat, hi querelis suis CASIMIRUM obruebant, dicentes nuncios, qui haec facinora Principi tradiderant, mendaciis ac calumniis esse usos. Quare denuo instanter Principem rogavit JOHANNES, ut speciatim enunciatet hic, quacnam singulis iis imputanda haberet, quod tamen an unquam

1) l. l. Tom. VII, pag. 301.

2) l. l. pag. 420.

fecerit GUILIELMIS, historia tacente, nescimus. DATHENUM a tali cum principe incunda concordiae redintegratione non alicnum fuisse patet e litteris a JOHANNE (m. Aprilis 1581) fratri missis. „Quo melius” inquit Casimirum ad tuas adducamus partes, „et BEUTERICII factio magis infringatur et opprimatur, „e multorum piorum virorum sententia aptum esset „si DATHENUS tecum reconciliari posset. Non tantum „huic de qua locuti sumus, rei, sed aliis quoque „prodesset. Mihi nunciatum est DATHENUM hoc tempore humilioris esse animi, atque dixisse se causam „suam Ecclesiae Nederlandicae tradidisse. Idem nuncius „eius testatus est, eum se paratum professum esse ad „tuam petendam condonationem, si clementiam tuam „sperare ei liceret”<sup>1)</sup>.

Quid autem GUILIELMUS? Ex iis quae fratri suo respondit efficiendum est novas denuo Principis aures attigisse de DATHENO calumnias, ita ut nil boni in posterum de DATHENO se expectare, ac nullum commercium se inter ac tales calumniatores et perturbatores existere posse candide testatus sit<sup>2)</sup>.

Haec GUILIELMI in CASIMIRI consiliarios ira novum accepit alimentum, quum hi ALENCONII mala fide, tanquam argumento utebantur, ut GUILIELMI cum illo commercium, quasi ipsius Dei digito impium denotatum, clamitarent.

Ipsae DATHENUS rem suam, ut jam vidimus, Ecclesiae tradidit Neerlandicae.

---

1) l. l. pag. 548.

2) l. l. pag. 582.



Jam anno 1579, Synodus Ecclesiae Flandriae *Brugis* habita, decreverat ad DATHENUM epistolam mittere preces continentem, ut viam indicaret quâ lis jamdiu Principem inter ac ipsum exorta, dirimeretur <sup>1)</sup>).

Duis fere annis post *Medioburgae* quae habita erat Synodus denuo DATHENO pollicita erat judices constituere aequos et ab omni partium studio alienos, qui tandem ejus cum Principe rixis finem imponerent <sup>2)</sup>).

Minime tamen patet DATHENUM unquam coram talibus judicibus rem suam egisse. A<sup>o</sup>. 1584 saltem ipse se frustra sperasse testatur fore ut Ecclesia suis

---

1) Cf. W. TE WATER, Hist. der Herv. kerk te Gent, p. 202. Verba, quibus de DATHENO synodus utebatur, digna sunt quae hic a nobis referantur; quia ex iis patet quanta DATHENUS eo tempore in Ecclesia valebat auctoritate. „Alzoo zekere brieven en missiven van welbekende en Godtsaelige persoonen aan den Synodum geschreven zyn . . . dat het Synodus met hare interpositie en Autoriteit zoude willen bezien ofte zy het geschil 't welk nu al lange, tusschen syne Prinselyke Exc. en P. DATHENUM opgestaen is, konden nederleggen en op beide zyden alzoo modereren en precaveren, dat dezelve niet en quamen tot meerdere verwarringe en dat tot grooter nadeelen van de kerke Kristy en synes Woordts; hebben de broederen eendragtelyk voor raedtzaam bevonden, datter uit ten naem van den Sinodo eenen *lieflyken* en *smeeckenden* brief aan Dominum DATHENUM zal geschreven worden, om hem te bidden om CHRISTI wille, en tot vermaninge, dat hy hem een weinig wil laeten gezeggen, en te verwilligen om met S. Exc. te komen tot eenen loflyken accoordt en vredemakinge opdat sulke sonderlinge swarighbeyt gestilt synde, hy wederom in syne dienst met vreugde zoude moge treden en denzelven voorts met groote vreugde continueren. Cf. GR. V. PRINSTERER, T. VII, pag. 82.

2) S. GRAVEZANDE, l. l. pag. 163, art. 49.

staret promissionibus <sup>1)</sup>. Haud improbable est Principem haud unam ob causam prohibuisse, quominus DATHENI petitioni morem gereret Ecclesia. Utrum in Germania degens DATHENUS, una cum IMBYSIO, cum Parmae duce quandam rem habuerit? Hac de re e perpaucis, qui nobis adsunt, fontibus pro certo aliquid affirmari nequit. DATHENUS ipse longe a se amovere conatur talem inculpationem, et rationes, ob quas hocce ejus testimonium in dubium vocaremus, minime sufficient. Dum adhuc apud CASIMIRUM versabatur, a nonnullis Neêrlandiae Ecclesiis, imprimis a coetu *Rheno-trajectino* vocatus est. Cui tamen petitioni eo tempore non satisfecit. Sed quum consistorium Gandavense et praeterea illius urbis scabini eum rogarent, ut denuo pristinis suis inserviret gregalibus, annuente CASIMIRO, nec non approbante ipsius Francothaliensi coetu, denuo in Neerlandicam suam profectus est patriam <sup>2)</sup>.

§ 9.

*De DATHENO postrema vice in patria commorante.*

Eosdem reipublicae Gandavensis legatos, qui IMBYSIUM ad pristinam suae gloriae scenam, *Gandavum*, revocarant, etiam DATHENO, quod coetus Gandavensis fovebat, desiderium ejus in urbem reditus, communicasse, valde probabile est <sup>3)</sup>. Una cum IMBYSIO

---

1) l. l.

2) Cf. GROEN VAN PRINSTERER, T. pag. l. l. art. 45.

3) *Genêtsche Gesch.* l. l. pag. 331 sqq. Cf. 's GRAVEZANDE. l. l. art. 45.



saltem e *Palatinatu Gandavum* reversus est<sup>1)</sup>, ubi res magis magisque in deterius ruebant. Urbs a PARMÆ duce et *Malcontentis* foris pressa, intestininis dissidiis magis etiam quam antea fuit vexata. Illi, qui clandestine Hispanis favebant, cum FARNESIO pacem esse ineundam exegerunt; qui contra GUILIELMI Principis, et Provinciarum septentrionalium auxilium exspectabant, hi hostium dolosis propositionibus se nunquam aurem præbituros neque ab Unione Ultrajectina defecturos esse palam jactarunt. Cum illis fecerunt fere omnes e Pontificiis. Ab horum partibus steterunt plerique Evangelii renovati sectatores.

Quominus tamen omnes reformati conjunctis viribus cuivis FARNESII pacis propositioni sese opponerent, prohibuit eorum aversio ab omni auxilio e Gallia accipiendo, quo tamen solo ex urgentibus angustiis ac periculis se posse servari omnes rerum periti perspexerunt; nec non dissensio, quae GUILIELMUM inter ac multos, imprimis qui in Flandria degebant, intercedebat Calvinistas. Hisce pro solita sua astutia usus est IMBYSIUS ut urbem hosti tradere conaretur. Initio fortuna ei favebat. Alimentorum caritas ac inde exorta fames populum ut pacem exigeret impulit. IMBYSIO auctore mense Martii senatus creatus est, qui de conditionibus deliberaret, quibus urbem PARMÆ duci traderent cives<sup>2)</sup>. Inter illius senatus socios etiam invenimus DATHENUM qui, ut enarrant Gandavensia Chronica, publice jactatus est se una cum IMBYSIO aliisque,

1) *Gendtsche Gesch.* pag. 349.

2) *Gendtsche Geschiedenissen*, l. i. p. pag. 359.

pacis cum Hispanis non tantum promotorem sed etiam operatorem fore, quocirca caeteri antistites, quam acerrime in DATHENUM tanquam proditorem invecti fuerint<sup>1)</sup>. Si fides est iisdem Chronicis, civibus illis Gandavensibus se adjunxit, qui Parmae legatis extra urbem obviam iverunt, eosque in urbem induxerunt!<sup>2)</sup> Vereane igitur sunt habenda quae ad unum fere omnes de DATHENO nobis enarrant historiographi? DATHENUM nempe IMBYSIUM instigasse, vel saltem lubenter cum eo coöperasse, quum hic urbem, cui erat praefectus, clandestinis suis machinationibus hosti tradere tentaret? DATHENUS igitur sacri sui muneris officiorum immemor suo Marte rebus politicis se immiscens, invitis suis collegis eorumque voluntati obstrepans, suo odio in GUILIELMUM Principem et Gallici auxilii metui auscultans, talis proditionis reus esset habendus? Videamus quid hac de re sit statuendum.

DATHENUS, uti jam vidimus, e Palatinatu<sup>m</sup> redux, <sup>fr</sup> IMBYSIUM comitatus erat; qui reditus omnibus IMBYSII adversariis facile suspicionem injicere potuit, quae DATHENUM nunc magis etiam quam antea cum illo facere crederent. Quumque in interlocutionibus eum PARMAE legatis habitis iterum iterumque DATHENI nomen nuncuparetur, vix aliter fieri potuit, quin graves spargerentur rumores, quasi IMBYSIUS in privata cum Hispanis pacificatione ineunda, suasorem et adiutorem habuisset DATHENUM. Sed licet hic uno eodemque odio adversus Gallos, quo IMBYSIUS ferebatur,

1) l. l. pag. 359—360. Cf. W. TE WATER, l. l. p. 202.

2) l. l. p. 361. Cf. *Memorieboek der stad Gent*.



ductus fuerit, utrumque tamen virum plane diversam sibi que oppositam de pace sententiam fovisse, ipsius DATHENI testimonio valde probabile redditur <sup>1)</sup>).

Urbs nimirum Gandavensis inde a mense Februarii a<sup>o</sup>. 1579 Uniovi Rhenotrajectinae sese addixerat. <sup>2)</sup>

Hac unione, quae omnibus omnino Reformatis valde grata et accepta fuit, quia Pontificiis satis infensam redolebat indolem, DATHENUM quoque nostrum admodum delectatum esse, dicere vix opus est. <sup>3)</sup> Privatam urbem *Gandavi* cum Hispanis reconciliationem, qua vinculum cum caeteris provinciis abrumperetur, semper abhorruit; pacem contra universalem, salva libertate cum politica tum religiosa, in tristissima patriae conditione quam maxime desiderabilem habebat. Sperabat nempe DATHENUS fore ut Hispaniae rex, belli pertaesus, omnibus caeteris provinciis, qui nondum se ipsi reconciliassent, religionis libertatem concederet, si hoc pretio adentum sibi totius regionis dominium ac possessionem redinere posset. Sed fortasse quis rogabit: nonne DATHENUS pro suâ sagacitate optime perspexit, PHILIPPUM nunquam reformatae religionis cultum concessurum esse? Quomodo ille historiâ edoctus talia a rege catholicismi tenacissimo sperare potuit? Respondemus,

---

1) 's GRAVEZANDE, l. l. art. 53 et 54: Hy betuycht, dat den particulieren vrede hem altyt een *grouwel* geweest zy, maer dat hy eenen generalen vrede met bewarynge der privilegien ende der Religie, den armen Vaderlande wel gewenscht heeft ende noch wenschet.

2) *Genitsche Geschiedenissen*, l. l. pag. 115.

3) 's GRAVEZANDE, l. l. art. 18. Cf. 70 et 71.

DATHENUM ipsum ita hanc suam exposuisse sententiam, ut pro magna parte talis objectio tollatur. Si optio nempe facienda erat inter reditum sub Hispaniae regis ditionem et Galliae regis, quod volebant haud pauci, in Neerlandiam imperium, sub PHILIPPI sceptrum redire maluit.

Urgebat tamen, nunquam cum rege Hispanico inendam esse pactionem, nisi hac conditione, ut summa in republica potentia remaneret ipsis harum regionum incolis; ut amoverentur omnes omnino Hispaniae regis copiae, ita ut Neerlandia, *Rochelii*, reformationis in Gallia illius propugnaculi, ad exemplum, libertate gauderet etiam quoad religionem attinet. 1) Remotis hispanicis militibus, (haec mente suâ voluisse DATHENUS videtur) et postquam regia potestas satis arctis circumscripta esset limitibus, ipsi Neerlandiae incolae, religionem reformatam ubique instaurarent.

In duodecim virorum conventu, quorum erat de pacis conditionibus agere, praesens quoque adfuit DATHENUS, minime vero tanquam IMBYSII adjutor. Magistratus enim ipsi, uti et JACOBO KIMMEDONCIO, injunxerat, cui suas quoque Consistorium addiderat

---

1) l. l. art. 60: Hy verclaerd't met niemant gesimuleert te hebben, aangaende het accorderen met den Conynck van Spaengien, nopende het stuck van de Religie, maer heeft altyts gesustimeert, soo hy ook noch doet, dat het nyet raedsaem is, met den voorsz. eenichsins te accorderen, ten sy, dat de goede Ingeboren van den lande het Regiment behouden, ende van alle uytheymsche Regimenteurs ende soldaten ontslagen werden, ende meesters van den spele blyven, gelyk die van Rochelle ende andere in Vrankryck noch doen.



preces, ut hujus congregationi adessent et viderent ne religio in pacis articulis, qui constituerentur, quid detrimenti caperet. Cum vero spes illa prorsus evanuisset, fore ut una eademque pactione omnes provinciae regi conciliarentur, senatus deliberationibus se substraxisse, ac nullius in posterum de pace interloctionibus participem fuisse disertis verbis declarat; se e contrario privatam illam, quam haud pauci flagitaverant, cum PARMÆ duce pacificationem plus semel palam ac publice improbasse aperte testatur <sup>1)</sup>. Si quis autem nobis opponit parum testimoniis hisee DATHENI de se ipso fidendum esse, huic reponimus: Egregie illud DATHENI testimonium binis epistolis, lectu dignissimis, confirmatur, quarum altera BOLLIIUM, unum e DATHENI collegis, eundemque GUILIELMO addietissimum, pacis adversarium, auctorem habuit; quarum altera a coetus Gandavensis consistorio conscripta fuit. Utriusque epistolae argumentum huc redit: Valde verendum erat ne multi improbarent, DATHENUM, KIMMEDONCIUM et BOLLIIUM, senatui tanquam pacis promotores interfuisse, quod tamen hi, consistorii jussu, una cum aliis ac bene multis pietate et virtute praeclaris viris fecerant. Procul tamen a consistorii sociis aberat privatam approbare pacificationem. Sed quum Magistratus, quibus obedire eos decuit, talem constituere vellent pacem, omnibus viribus per laudatos triumviros id egerant, ut res verae fidei ac religionis, quoad ejus fieri posset, vindicaretur. Fratres igitur Antverpienses quibus hae litterae datae erant, rogatos

1) s' GRAVEZANDE, l. l. art. 55 et 56.

esse voluerunt, ne malis, qui dispergerentur, rumoribus faciliores aures praerberent <sup>1)</sup>).

Quae igitur consistorium Gandavense hinc scripsit optime congruunt iis, quae DATHENUS postea in sua apologia de se ipso testatus est. Apparet exinde DATHENUM nequaquam, ut plerique volunt historici, invitatis collegis egisse, sed consistorii mandato obtinuisse, quum duodecim virorum congregationi se adjungeret. Praeterea, quod ad IMBYSIUM inter ac DATHENUM commercium attinet, probe tenendum est in utraque epistola ne vestigii quidem umbram reperiri unde effici possit ejus collegas — licet minus honorifice de IMBYSIO sint loqui; licet hujus proditio jam satis aperta ac detecta esset } DATHENI agendi rationem improbasse vel eum ob crebras cum isto colloctiones suspectum habuisse. Accedit quod, in inquisitione, quam IMBYSIUS subiit, qua de omnibus ejus facinoribus, in urbe *Gandavi* non tantum, sed etiam in Germania agebatur, DATHENI nomen nusquam occurrit. Neque illi qui ARAUSIACO addicti, pacem abhorrebant, et paulo post adversarios ejus devicerant, DATHENUM, cui minus favebant vel fidebant, in urbe remanere aegre tulerunt. <sup>2)</sup> Quae cum ita sint, narrationem, quam plerique Historici de DATHENO et partibus, quas hac tempestate, *Gandavi* egerit, dederunt, sin minus fictam, valde saltem exaggeratam esse, hisce argumentis effecisse nobis videmur.

Quam DATHENUS ejusque collegae abhorrebant, pri-

---

1) GROEN VAN PRINSTERER, l. l. Tom. VIII. pag. 393 sqq

2) *Gendtsche Geschiedenissen*, l. l. pag. 403 sqq.



vatam nempe cum PARMÆ duce reconciliationem, illa in diem magis imminebat miserrimae *Gandavi* urbi. Frustra Gandavenses a provinciis, quae Unione Ultrajectina cum iis erant conjunctae, auxilium implorarunt; partim inopia partim nimia quadam tarditate prohibebantur, quominus praestarent ea, quae antea iis polliciti erant regionum Septentrionalium Ordines. <sup>1)</sup>

GUILIELMI Principis morte, ultima, quae miserae urbi relicta erat spes, evanuit. Tandem fame et inauditis fere aerumnis Gandavenses PARMÆ suam tradere urbem coacti fuerunt. Eodem die, quo victrices FARNESII copiae expugnatam intrarunt urbem, magnus hominum numerus, inter quos DATHENUS cum viginti et octo suis collegis, eam reliquit <sup>2)</sup>.

Urbs, quae tandiu firma reformationis sedes existerat, mox a novem millibus <sup>3)</sup> familiarum, Euangelium renovatum sectantium, fuit relicta. Qui *Gandavi* remanserunt, fere omnes ad pontificiam redierunt Ecclesiam.

Rumores de partibus, quas egisse existimabantur Gandavenses antistites et speciatim DATHENUS <sup>4)</sup>, in urbe hosti tradenda, ipsos pastores qui, magno numero e Flandria in regiones septentrionales migrarunt, jam praecierant.

Haud sine magno dolore urbis *Gandavi* ab Unione Ultrajectina defectio, caeteris in Neêrlandiae regionibus, quae pacem cum Hispanis aversabantur, audita erat.

1) l. l.

2) s' GRAVEZANDE, l. l. art. 58.

3) *Gendtsche Gesch.* l. l. pag. 469.

4) Cf. epistola hac de re apud SCHOOCKIUM, l. l. pag. 653.

Ordines Hollandiae et Zeelandiae, verentes ne Flandriae antistites, quibus pro magna parte tribuebatur *Gaudavi, Brugarum, Yprionis* aliarumque urbium cum *PARMAE* duce reconciliatio, etiam in sua ditione animos ad pacem commoverent, edictum edi curaverunt, quo admonerent ejusvis urbis Magistratus, ne e Flandria admitterent antistites, nisi postquam de eorum quietâ indole ac moribus bene constaret<sup>1)</sup>. Quum autem *DATHENUS Leydae et Gaudae* commercium cum Galliae rege tanquam impium improbaret, et hac de re posteriore in urbe cum magistratibus controversatus esset, novo Ordinum edicto ipsius *DATHENI*, tanquam perturbatoris, nomen inserebatur<sup>2)</sup>. Mox *Advocato-Fiscali* q. d. mandaverunt Ordines, ut *PETRUM DATHENUM* sive obedientem sive vi coëctum *Hagas Comitum* secum adduceret<sup>3)</sup>. Hic tamen Ordinum nuncium non manebat sed *Gaudam* reliquit et *Vianam* profectus est, ut ibi *BREDERODII* viduam, postea *Electori Palatino* matrimonio conjunctam, visitaret. In ipsa autem comitissae praesentia a centurione quodam *BEMONTIO* comprehensus est, quamvis hic nullo mandato probare potuit, quo jure tali *DATHENUM* affecerit ignominia. Multum vero de rumoribus *DATHENO* infaustis et longe lateque dispersis clamitavit. *DATHENUS*, quamquam centurionis agendi rationem quam maxime miratus, se tamen paratum esse dixit coram iudice rem suam

---

1) Cf. *WILTENS, Kerkelyk Plakaetboek* ad annum 1584.

2) *Plakaet en Charterboek van Friesland*, ed. a *SCHWARZENBURG*.

3) *BOR*, l. l. Lib. XIX. pag. 518. Cf. *WAGENAER*, multique alii.



agere, si in aciem procedere vellet aliquis accusator. Quum postridie nullum exstitisse accusatorem audivisset, *Gaudam* redire in mente habuit DATHENUS, ut ab urbis magistratibus testimonium peteret de colloctionibus antea a se ipso cum iis habitis. Fluvium igitur trajecit et *Vreesviciae* vehiculum exspectans paullulum obambulavit, quum repente a militibus nonnullis ab EGMONTIO missis, *Vianam* reductus est. Ad jura autem urbis *Rhenotrajecti* pertinebat, ut cives *Vreesvicenses*, illa in urbe causam suam agerent. Postquam igitur DATHENUS per duas fere hebdomades *Vianae* versatus erat, Magistratus *Rhenotrajectinus* DATHENUM reclamavit, ita ut in carcerem traduceretur *Rhenotrajectinum*. Ibi cum caeteris captivis uni eidemque mensae assidens coenare coactus fuit, hac ipsa in urbe ubi ad hoc tempus usque, coetus reformatus tanti eum semper fecerat. Per quinquaginta et quod excurrit dies tristissimam hinc nunc degit vitam. Frustra accusatores suos exposcit DATHENUS. Horum instar 81 articuli illi sunt propositi, tot fere incriminationes continentes. Cujus nomine vel quâ auctoritate id factum sit, non satis liquet. Ordinum senatum<sup>1)</sup> illos e vagis de eo dispersis rumoribus composuisse multi credebant. Quibus ita respondit, ut tandem Magistratus ei concesserit, privata civis alicujus domo uti. Postquam per quatuordecim dierum spatium GILLESII GALLII hospitio fructus erat, et frustra semper accusatores evocaverat, Magistratui petitionem obtulit qua „privata prorsus auctoritate” in carcerem se esse con-

1) Raad van State. Cf. BOR I. I.

jectum querebatur, quumque nemo causam contra eum dixisset, post tam longum temporis spatium *ipso jure* se liberatum esse dixit, quam ob rem a Magistratu petebat, ut ab omnibus omnino obligationibus liberaretur. Cui DATHENI petitioni Magistratus Rheno-trajectinus tandem morem gessit d. 28 m. Decembris 1584.

Quo facto DATHENUS urbem reliquit, ubi tot tantaque mala perpressus erat, et *Amstelodamum* profectus est. Non diu tamen hac in urbe moratus est. Dedecus, quo *Ultrajecti* erat affectus ille, qui olim summa in Ecclesia Neêrlandica gaudebat auctoritate et honore, fortem ejus animum acerbissima concusserat commotione. Patriam reliquit, in cujus salutem omnes olim suas impenderat vires; in qua nunc autem, post tumultus Gandavenses, DATHENUM, tanquam perturbatorem et optimi Principis, eheu! defuncti, oppugnatorem ac inimicum, optimi quique despiciebant.

Quum igitur postrema vice e patria exstitisset exsul, non ad pristinum suum patronum CASIMIRUM refugit, quod non mirari non possumus, sed in *Slesvico-Holsatia* pervagatus est<sup>1)</sup>. Cur hîc asylum sibi quaesiverit, ubi acerbissimi Lutherani suam fixerant sedem, etiam obscurum est. Ipsorum horum Lutheranorum metu inductus, mox nomen suum mutavit et a patria sua, MONTANI assumpsit nomen. Quam a juventute inde sibi paraverat medicae artis doctrinam, ea nunc exercenda quaestum sibi quaesivit quotidianum. *Husii*, Holsatiae quodam in oppidulo primum degisse videtur, ubi tamen haud diu post gravem in morbum in-

1) Cf. ED. VAN REID, l. l. pag. 47.



cidit<sup>1)</sup>. Ab omnibus qui ei cari erant remotus, miser et desolatus exsul, ad mortis stetit limen. Unus tantum auxilium ei praebuit, CHUNRADUS quidam, aequae ac DATHENUS, medicae artis haud ignarus, notissimum illius DAVIDIS GEORGII<sup>2)</sup> sectae addictus. Mirandum non est DATHENUM tali in conditione amicitiae quodam vinculo CHUNRADO illi obstrictum fuisse, quocum jam antea familiaritas DATHENO exstiterat, » quum secum invicem communicassent quae medica » et physica essent et de arcanis nonnullis quibusdam » quae CHUNRADUS se scire affirmavit." Sed aliae hujus familiaritatis accessere causas. Contumelia, qua in patria affectus erat, qua in posterum bonam de se famam apud populares deperditam esse, pernitens sentiebat; omnes praeterea aerumnae, quas perpressus erat, acerbos in DATHENI animo evocaverant sensus, ita ut firma quoque quae ei semper adfuerat de religione persuasio, eum pro tempore reliquisse videatur. DATHENUM ita vacillantem CHUNRADUS hae-

---

1) Haecce et quae sequentur desumpta sunt ex epistola CHRISTOPHORI PEZELII ad Synodum Haganam, quam vener. H. G. JANSSEN, pro insigni quâ erga me fuit benevolentia, inspiciendi copiam mihi fecerat, antequam illam ederet in saepius jam allato diario: *Bijdragen tot de Geschiedenis etc. van Leeuwesch-Vlaanderen etc.* Tom. III. pag. 1 sqq.

2) De Haeresiarcha illo ejusque fati ac doctrina eff. *Historia vitae doctrinae ac rerum gestarum DAVIDIS GEORGII Haeresiarchae, conscripta ab ipsius genero NICOLAO BLESZYKIO edita a JAC. REVIO Daventriae 1661*; B. TER HAAR, *Geschiedenis der Kerkhervorming in Tafereelen*, Tom II, pag. 90, 196, H. G. JANSSEN I. I. pag. 22 sqq. KIST en ROYAARDS *Archief. caet.* Tom. XVI.

reticis suis dogmatibus aggressus est; si notissimum illum PETRUM DATHENUM ad suam perduceret sectam insignem se victoriam reportaturum esse, existimans. Initio fortuna CHUNRADO arridere videbatur. DATHENUS enim hujus ratiocinationibus benigniorem praebuit aurem, quam hic speraverat, atque, eodem CHUNRADO rogante, ipsius DAVIDIS GEORGII primum opus „*Librum mirabilem*“ inspexit. Mox vero DATHENUS sana sua mente revocatus, vix tribus paginis perlectis, abhorrere coepit a „rapsodiis illis, quae „succo et fundamento omni carebant.“ Morbo, febre pestilenti afflicto, *Stadam* cessit. Et hic CHUNRADUS ei suum auxilium praebere non desit.

Quum tandem valetudinem nonnihil recuperasset, unum e consulibus hujus urbis feliciter curavit, quo facto periti medici DATHENI fama ita per urbem volavit, ut mox functio exercendae artis medicinae ei oblata sit. Quam tamen recusavit oblationem DATHENUS, ne alium quendam doctorem juvenem impediret, cui ejusdem functionis spes facta erat. *Husium* ergo denuo migravit, unde *Stadam* reversus, Magistratui tanquam medicum se obligavit, qui eum „stipendio honesto 150 thalerorum alebat.“ Familiam suam tandem a se remotam et lucusque *Francothalii* degentem nunc ad se vocavit et post omnia sua itinera vitam egit satis quietam.

Interea DATHENI populares in patria non sine magna sollicitudine audiverant, DATHENUM non tantum nomen suum immutasse, sed etiam muneri, quo tanto olim ardore perfunctus erat, valedixisse, quum medicinae suam impenderet operam. Quum vero CHUNRADUS palam



jactavisset et in epistolis suis longe lateque dispersisset, DATHENUM etiam in religiosis pristinae suae valedixisse persuasioni firmissimae et DAVIDIS GEORGII amplexum esse dogmata; tunc gravi quodam dolore pii quique in Ecclesia fuerunt commoti. Quo facto synodus anno 1586 LEYCESTRIS sub auspiciis *Hugis Comitum* est habita; cujus plurimi quidem socii DATHENO satis propitii fuerunt. Haec legatos mittere decrevit, qui ipsum DATHENUM de variis hisce rumoribus interrogarent, et ita Ecclesiae scandalum, quantum fieri posset, tollerent. Quod mandatum, JOHANNI GEROBULO ac CHRISTOPHORO PEZELIO traditum, haud uno nonime satis difficile ac molestum erat, quum eos plane lateret ubi eo tempore degeret DATHENUS. Inter alia oppidi *Stadae* nomen nuncupabatur. Proficiscebatur igitur PEZELIUS primum *Bremam*, ubi GEROBULUS ei se adjunxit comitem, ac quum forte fortuna ibi MENSIONEM ALTINGIUM offenderent, ab eo petierunt ut legationis particeps exstare vellet. Triumviri, quum *Stadae* in oppidum advenissent, ac DATHENI tandem indagassent domicilium, mox eum ipsum invenerunt.

Sed qualis erat! Quantum mutatus a fervido illo ac alaeri oratore, qualem eum olim cognoverant. Nunc sedata ac depressa ejus voce, facie ejus languida commoti, sine magna commiseratione eum adspicere haud potuerunt. DATHENUS ipse Synodi legatorum inopinato aspectu perturbatus videbatur. Mox tamen eos domum suam introduxit, ubi, remota uxore et reliqua familia, GEROBULUS mandatum a Synodo sibi caeterisque legatis traditum DATHENO exposuit.

Hic eandem de suo cum CHUNRADO commercio fe-

cit narrationem, quae lectori e praecedentibus jam innotuit. Insuper se non tantum *Librum Mirabilium* inspexisse sed etiam se legisse professus est alia quaedam ejusmodi scripta, inter quae unum fuerat *Evangelium regni HENRICI NICOLAI*; de aerumnis, quas in Belgio perspessus sit inter alia narravit: „triduo, ante  
„suam liberationem e carcere in prandio sibi propinatum  
„esse toxicum, quod non sine magnis difficultatibus natura tandem devicisset, adhibitis aloxipharmacis et  
„antidotis, quaecunque in promptu habere poterat.” Quamvis medico fungeretur munere, se tamen a vera fide descivisse minime confessus est.

Magis apertam quam Synodi legati desiderarent DATHENI confessionem; se scire dixerunt quod ille CHUNRADO scripsisset de „dediscendis illis quae haecenus  
„alios ad litteram docuerat.” Quo facto DATHENUS poenitere se confessus est: „quod aliquando nimis fuisset  
„ardens in bellis suadendis, quam non veram propagandae religionis rationem esse postea agnoverit; aliter enim  
„Apostolos, aliter martyres egisse; nec probare dixit se  
„ipsum nimium ceremoniis addictum fuisse, neglecto illo  
„quod principale esset, ut populus nempe ad interiorem  
„poenitentiam revocaretur; de his et similibus liberius cum  
„quibusdam se disseruisse sed de summis illis articulis: de  
„Deo, de Trinitate, de Filio Dei, de fide, confessionem  
„suam minime mutasse palam enunciavit.” DATHENUM quodammodo quaestionis cardinem subterfugere non latuit Synodi legatos. Repetiit igitur GEROBULUS ipsius DATHENI ad CHUNRADUM verba, quod „dediscere se dixisset quae alios secundum litteram antea docuisset.” Respondit DATHENUS multa denuo de bellis af-



ferendis, atque ita jam memorata verba explicare conatus est: „quod antea ex littera historiae bellorum „ABRAHAE, GIDEONIS, JOSUAE, DAVIDIS argumentum petisset ad bella civilia excusanda, qualia gesta „essent haecenus religionis ergo.” Talia se dedicisse dicere voluisse. Sed neque haec quidem DATHENI suorum ipsius verborum explicatio Synodi satisfacit legatis. Quare litteras quas CHUNRADO <sup>1)</sup> olim scripserat proferendas esse putaverunt, secedente illo paulisper. Tum vero DATHENUS „se infitiri non posse” dixit „se „ex aerumnis, quibus in patria erat obrutus et dolorem „ingentem et gravem inde conceptasse offensionem: „mox commoto adhuc animo, infelici quodam fato in „CHUNRADUM illum incidisse, sed in summo vitae „discrimine, quod ob oculos habuisset atque cum ipsa „morte collectantam abjecisse se quidquid fuerit dubitationis una cum exulceratione et offensione ipsa,” etc. Haec quum fuis lachrymis recitasset, GEROBULUS collegarum nomine sinceram et haud fucatam DATHENI se habere poenitentiam dixit; ut denuo sacrum adiret ministerium cum adhortatus est, et subsidii nonnihil Synodi nomine DATHENO pollicitus est.

Subsequente die scriptum suae poenitentiae trium-

1) De CHUNRADO illo fere nihil notum esse recte monuit Ven. H. G. JANSSEN, l. l. pag. 20. — In colloquio tamen *Francothulensi* anabaptistis objecit DATHENUS sententiam e libro quodam CHUNRADI: „dat Godt „Christum na der Menschheit, door Mariam verjongt hebbe.” Verosimiliter hiece liber eundem nostrum CHUNRADUM auctorem habuit. Anabaptistae, quod animadvertendum est, DATHENO obtestantur se nunquam de CHUNRADO ejusque sententia audivisse. *Protocoll.* pag. 164.

viris dedit documentum, quod coram illo, in hospitio, legerunt. Inprimis DATHENII Libertinorum, *David-Georgianorum* et ejusmodi sectariorum condemnatione haud parum delectati sunt Synodi legati. Cursis denuo lachrymis vacillationem suam deploravit DATHENUS seque ad opus ministerii rediturum proficens, si quidem vires corporis sibi a Deo restituerentur, tandem Synodi valedixit legatis.

Nunquam tamen DATHENUS in patriam rediit nec iterum antistitis functus est munere. Fortasse nunquam solidas, quae ei olim aderant, satis recuperavit corporis vires; fortasse mutata rerum in patria conditio eum absterruit; nec DATHENO valde arridere potuit locum occupare inferiorem eadem in regione, ubi primis in Ecclesiac honoris sedibus olim insederat. At certi quid hac de re statuere non valeamus. Per unius fere anni spatium *Stadae* in oppido remansit, ubi coetum reformatum condidisse dicitur; inepte tamen ut videtur<sup>1)</sup>. Ob causas nobis aequae ignotas *Stadam* reliquit et *Dantsigium* se contulit, ubi tamen Magistratus ab Anabaptistis ita contra illum fuit instigatus, ut vel unam hac in urbe remanere noctem DATHENO abnegaret. Extra urbis fines hospitium sibi quaerere coactus fuit exsul. Postridie inde *Elbingiam* profectus est et ibi fixam tandem invenit sedem. A magistratu horrorefice receptus, Medicam ibi excolendi artem licentiam, ipsi oblatam, accepit. Sex per annos circiter quietam hic degit vitam, ac tanti eum fecerunt *Elbingenses* cives

1) Cf. LE LONG, *Kort hist. Verh.* etc. pag. 130. 'S GRAVEZANDE, l. l. pag. 200. H. G. JANSSEN, l. l. pag. 21.



ut, quum 19 d. m. Februarii 1590 diem obiret supremum, ipse Magistratus densa civium et Belgarum, qui ibi degebant, stipante caterva, magna cum pompa, in ejus funere prodierit. Ut post ejus mortem DATHENI memores essent Elbingenses cives, sepulcrum erigi curavit Magistratus, cui DATHENI statuam lapide exsculptam superstructam fuisse legimus <sup>1)</sup>).

DATHENI vitam, continua narratione expositam et illustratam ad finem perduximus; illius viri prorsus singularis, ejus nomen olim summis cum encomiis ornatum, postea vituperationi deditum, haud raro magno cum contemptu ab Historicis nuncupari solet. In *epicrisi*, quam huic Dissertationi subjiciendam esse duximus, cum de ejus indole rite dijudicanda, tum de justo pretio ejus meritis erga Ecclesiam nostram statuendo, data operâ agemus. Hic autem veluti in antecessum monuisse sufficiat, DATHENI vitâ ac rebus gestis vividam veluti imaginem cum virtutum tum vitiorum temporis quo vixit, nostrae mentis oculis esse depictam. Si quis autem hunc nostrum libellum et qualemcunque quam dedimus DATHENI Biographiam inspiciens, aequius ac mitius, quam vulgaris ac satis levis fuit opinio, de illo judicaverit, haud inane ac infructuosum opus perfecisse nobis videbimur, atque erit quod magnopere laetabimur.

1) Cf. BOR, l. 1. pag. 519.

## SECTIO ALTERA.

DE DATHENI SCRIPTIS.

### § 1.

#### *De Datheniana Psalmorum versione.*

Quod de plurimis, quae DATHENUS scripto reliquit, verissime affirmare licet, eorum originem e temporum conditione vel urgente necessitate repetendam esse, id haud scio an praesertim valeat de notissimo illius opere, cui praesertim suam famam debuit. *Rhythmicam Psalmorum*, quam DATHENUS dedit *versionem*, jam nobiscum in mente habes, Benevole Lector! de eius aequâ aestumatione ac fati hîc paucis agere lubet.

Magno olim cum applausu recepta fuerunt carmina e Psalmis desumpta, quae a<sup>o</sup> 1540 GUILIELMUS ZUY-



LENIUS A NYEVELDT ediderat<sup>1)</sup>, quippe quae ad numerum illarum melodiarum vulgarium erant composita, quae populus in deliciis habebat, licet illae melodiae sacro horum carminum argumento parum congruae essent habendae. Postquam vero Gallica psalmorum versio quae MAROTUM ac BEZAM<sup>2)</sup>, auctores habuit, CALVINI cura melodiis erat ornata, quas, optimi hujus aetatis musici composuerant; postquam UTENHOVIUS<sup>3)</sup>, celeberrimus ille, pietate et constantia sua clarus, coetus Londinensis presbyter, inde ab anno 1551 versionem nonnullorum Psalmorum vernaculam, et sane haud contempnendam, in lucem emittere inceperat — ZUYLENI collectio populo amplius placere vix potuit, qui nunc eadem illa carmina derisit, quae antea magnâ cum voluptate atque haud sine elato religionis sensu cecinerat.

Versio, quam a<sup>o</sup> 1565 popularibus suis obtulit LUCAS HEERIUS<sup>4)</sup> piotor et Rhetor Gandavensis, GUILIELMI

1) *Souterliedekens, op alle die Psalmen van David op Wereldsche wysen berymt, door WILLEM VAN NIEUWVELDT, met den Latynschen teat op den kant.* Antw. 1540.

2) *Les Pseaumes, mis en rime par CLEMENT MAROT et THEODORE DE BEZE. Pseaume IX, Chantez au Seigneur qui habite en Sion et annoncez ses faits entre les peuples.* Anno M. D. LXII. Cf. LE LONG, *Kort Verh.* pag. 78.

3) *Hondert Psalmen Davids. Mitsgaders het Gesangk Marie, 't Gesangk Zachariae, 't Gesangk Simeonis, de Tien Geboden, de Artikels des Gheloofs, etc. Overghesett in Nederlandschen Dichte door JAN UTENHOVE, 1561.*

4) *Psalmen Davids na de Ebreusche Waerheyt en de alderbeste exemplären of Translatien Liedekenswys in dichte gestelt, op*

Principis ac DATHENI quoque familiaritate gavisus, nimis quam par erat, a Belgis fuit neglecta. Fortasse quia musices ei adjunctis modis, iisdem quibus usus erat BEZA, populus adhuc parum assuetus erat. Praeterea XXXIX Psalmorum HEERIUS tantum versionem dederat.

Jam vero, quum in patria nostra reformatorum conciones sub divo haberi coepissent, diversâ plane modulatione utentes, alii e tot auditorum millibus Gallicam, alii Utenhovii, alii etiam LOBWASSERI<sup>1)</sup>, (quae a<sup>o</sup> 1565 in *Palatinatum* introducta erat,) alii aliorum cecinerunt versionem. Tum *Datheniana* Belgis innotuit versio<sup>2)</sup>, quae brevi per omnes Neêrlandiae regiones divulgata, omne tulit punctum. Nec mirum! DATHENI versio, quamquam magnis multisque mendis ac vitiis laborans, praeter auctoris, quod in fronte gessit nomen, plura habuit, quibus se commendaret. Dialecto enim conscripta erat Flandrica, provinciarum etiam septentrionalium incolis satis familiari

---

*de noysen en maete van CL. MAROTS Psalmen door L. D. H. met Privilegie. Ghendt by GHILEIN MANILIUS, 1565. Off. s' GRAVEZANDE, l. l. pag. 209; HERINGA, Kerk Raadv. en Raadv. pag.: LE LONG, l. l. pag. 121.*

1) *Die Psalmen Davids, nach Franzosischer Melodey in Teutsche Reymen gebracht durch D. AMBROSIUM LOBWASSER.*

2) *De Psalmen Davids ende onder Lofsanghen wt den Francoyschen Dichte in Nederlandschen overgheset, door PETRUM DATHENUM. Metgaders den Christelycken Catechismo, Ceremonien ende Ghebeden. Jacob V:13. Is yemandt in lyden onder V? Die bidde: Is yemandt goets moeds? Die singhe Psalmen. Gheprint in 't Jaer ons Heeren M. D. LXVI. 8°. LE LONG, l. l. 117.*



ae cognita. DATHENUS, et quod ad verba et quod ad numeros et modos attinet, presso pede Gallicam versionem secutus erat, quod duplicem ob causam valde placuit, et quoniam hac similitudine disharmonia in publico cantu sublata est, et quoniam Belgae, hac ratione se cum fratribus in Gallia, sicut in doctrina, in cantu quoque publico plane consentire probare potuerunt<sup>1)</sup>. Praeterea, quum DATHENI labor in lucem prodiret, nulla exstabat in lingua nostra vernacula versio, quae ad finem usque perducta et sacro cantui adaptata erat<sup>2)</sup>. *Datheniana* versio quippe quae omnibus numeris completa ac absoluta esset, hoc sensu unica dici potuit.

Haec omnia si mente recolimus, dubium vix esse potest, quin DATHENI versio etiamsi ceteris ejusmodi laboribus postponenda fuisset, prae iis palmam tulisset. Verum enimvero plerique scriptores temporis, quo conscripta est, parum rationem habentes, severius ac ini-

---

1) DATHENUS in praefatione hac de re testatur: „Dat ik desen „Psalter op dese wyse, in dicht gestelt hebbe en is niet geschiedt, om den arbeydt van andere die daerin haer best gedaen hebben te misprysen, ofte om my eeniger konst te beroemen „maer dewyle wy metter Evangelischen kerken in Vrankryk in „der Leere en Ceremonien eendrachtig zyn; soo heb ik van her- „ten begeert, dat wy in den sank der Psalmen hen ook mogten „gelyk zyn, die in die spraeke seer lieflyke en klaar overgeset „zyn; dewelke ik soo nagevolgt hebbe als 't my mogelyk geweest „is, ende onse spraek heeft konnen lyden.”

2) Cf. LE LONG, l. l. 59. s' GRAVEZANDE, l. l. p. 205. HERINGA, l. l. Tom. II. pag. 251.

quius de illa enunciarunt iudicium<sup>1)</sup>. Si enim hanc inter caeterasque psalmodum versiones huc usque editas comparationem instituímus, vel etiam *Flandricae* poeseos ejusdem temporis fructus respicimus, *Dathenianam* versionem hisce minime inferiorem ac deteriore[m] habendam esse, affirmare nulli dubitamus. Quod tamen non sic intelligi velimus, quasi e nostra sententia indolem vere poëticam redoleret DATHENI versio. Scatet et languet inanibus interjectionibus ac additamentis et ita est comparata, ut nobis subinde vel fastidium pariat vel risum moveat. Sed híc in memoriam revocemus, DATHENUM de industriâ ac data opera ad litteram, quoad ejus fieri posset, MAROTI BEZAEQUE versionem reddidisse, ita ut multa quae ejus inhaereant labori vitia illorum e labore originem petant<sup>2)</sup>.

1) BURMANNUS, c. g. Psalmos Dathenianos „illepidos nuncupat „et plebeja humilitate et sordibus verborum inquinatissimos.“ P. BURMANNUS, *ad sullog. Epist.* Tom. I. p. 692.

2) DATHENI versionem e Gallica illa redditam esse non semper meminerunt iudices. Famosissimus ille e. g. „calcei“ locus fere iisdem verbis in Gallica versione invenitur. Ps. LX: 5.

E MAROTI ET BEZAE VERSIONE

Les Moabites au sur plus  
Je ne veux estimer non plus,  
En despit de leurs mauvaistiez,  
Qu'un vaisseau pour laver mes pieds.  
Contre Edom peuple glorieux  
Je jetterai mes souliers vieux.

E DATHENIANA VERSIONE

Maar Moab zal zyn met oneer  
Iek en achte hem oock niet meer



Post longum annorum intervallum, quod nostrum,

Dan een waschvat daar in dat myn  
Voeten sullen gewasschen zyn.  
Edom acht ick met zyn volck coen  
Niet beter dan myn oude schoen.

LOBWASSER: Und wie ich gantzlich hoffen thu,  
Auf Edom werfen meine schuh.

Vel alius ille notissimus locus e Ps. LXXVIII: 33.

MAR. et BEZA.

Mais sur cela comme quand la personne  
Après bieu boire engloutie de somme  
A la parfin s' escrie et se resveille  
Dieu s' esveilla et rendit la pareille  
Aux ennemis, qu'en derriere il frappa  
Et d'éternel diffame enveloppa.

DATHENUS.

Maer ghelyc een dronc mensch hem dan opmaket  
Als de wyn wel verteert is end' ontwaket  
Die seer luyd tiert end' maeckt een seldsaem wesen.  
Also is oock onse God opgheresen  
Ende sloegh 't achterdeel der vyanden quaet  
Twele hen een ewige schand is en smaect.

LOBWASSER.

Der Herr sich aber wiederum auffmachtet  
Wie einer der da von den schlaff erwachtet,  
Und einer der des weins viel hat gesoffen  
Und jauchzen thut: er hat die feind getroffen  
Ihn hinden einer harten streich gethan  
Ein ewig schandmahl ihn gehenget an.

At claudite jam rivulos pueri, sat prata hiberunt.

Longum sanc acta ediosum foret hic plura afferre exempla, ad ea quae  
diximus probanda vel illustranda. Nemo enim, etsi MAROTI et BEZAE  
versio paulo melior sit habenda, vel eam vel LOBWASSERI versio-  
nem *Dathenianá* nostrá longe praeclariorem esse, facile contendet.

quo vivimus, aevum a DATHENI aetate separat, aequa et vera hujus versionis aestimatio nobis perquam difficilis videtur.

Quid? quod multa vocabula illi insunt nunc prorsus obsoleta vel nobis incognita vel etiam ridicula, quae tamen DATHENI tempore satis bene audiebant et tunc viventium aures nequaquam offendisse vel laesisse censenda sunt.

Quantopere DATHENI aequalibus hic ejus ingenii fructus placuerit, innumerae fere *Dathenianae* versionis editiones testantur. Prima vice a<sup>o</sup> 1566 *Francothalii* in lucem emissa, eodem anno *Londini* aliisque in locis iterum iterumque typis expressa est<sup>1)</sup>.

Anno 1567 DATHENUS suam versionem emendatam edi curavit. Quae tamen emendatio operi ejus parum profuisse videtur.

Ab hoc inde tempore singulis fere annis repetitis Codicis Sacri editionibus adjecta sexcenties est excusa. Per duo saecula et quod excessit eam in Ecclesia reformata Neêrlandica in cultu sacro adhibitam esse omnes novimus. Cujus perpetui usus diversae fuerunt causae, quas breviter exponere ab argumento, in quo tractando versamur, haud alienum esse duximus.

Notissimum poetae dictum „habent sua fata libelli” optime in hunc libellum quadrare sequentia docebunt.

---

1) Omnes illas Dathenianas versiones hinc recensere hujus loci non esse putavimus. Cff. LE LONG, *Kort hist. Verhaal*, etc. pag. 125 sqq. *Boekzaal des Nederduitschen Bijbels et Catalogus van de boekerij van* (IS. LE LONG) by ANTON. SCHOUTEN te Amsterdam, passim; s' GRAVEZANDE, I. I. p. 210 sqq.



Prima Ecclesiae Neêrlandicae, sub cruce, synodus<sup>1)</sup> nationalis Dathenianam versionem, jam omnium omnino in manibus, sua auctoritate commendavit, ut in cantu quoque unitate quadam conjungerentur coetus reformati. Cui decreto ea etiam annuit Synodus, quae Dordraci a<sup>o</sup> 1574 habita est<sup>2)</sup>. Tandem Synodus Nationalis, eadem in urbe quatuor annis post congregata, in Ecclesiam jamjam stabilitam DATHENI introduxit versionem<sup>2)</sup> eamque suâ sanxit auctoritate. DATHENUS, ut jam vidimus, praesidialem in ea occupaverat sedem, et e multorum historicorum sententia, ambitione ac honoris quadam cupidine ductus, collegis suis tale extorsit decretum, ut MARNIXII, quae jam parata erat, versionem arceret.

Sed, quamquam valde probabile habendum est, DATHENI, qua tunc gaudebat in Ecclesia, auctoritatem multum valuisse, ut collegae ejus ad talem adducerentur sententiam; in dubium tamen vocandum est, num ipsius DATHENI incitationibus ac instigationibus, hocce Synodi decretum tribuendum sit.

Nam 1<sup>o</sup> MARNIXIUM versionem suam jam paratam et absolutam habuisse, Synodi sociis satis cognitum erat. Attamen nondum *edita* erat ejus versio neque hanc ob causam a Synodo in Ecclesiam introduci potuit<sup>4)</sup>. 2<sup>o</sup> Eo tempore multo minus quam postea vitia,

1) Acta Synodi Vesaliensis art. XXXI. J. ENS, *Kort Historisch Bericht*, etc. pag. 210.

2) *Kerkekyk Handboeckje*, art. 43.

3) *Ibidem*.

4) Primum in lucem prodiit illa versio a<sup>o</sup> 1580 sub titulo:

quae DATHENI inhaerebant versioni, perspexerunt Ecclesiastici, neque credibile est eos hanc, in Ecclesia ubique jam vigentem, abrogare voluisse. 3<sup>o</sup> Testante MARNIXIO <sup>1)</sup> jam antea ipse DATHENUS professus erat, se suum opus pro temporis angustia festinantius perfecisse, ita ut „abortu” quasi in lucem prodiiisset. Cui alius etiam scriptoris accedit testimonium: „DATHENUM nempe ipsum, dum adhuc in vivis esset, spem enunciasset fore ut alius quis e textu Hebraico ipsius emendaret opus; MARNIXIUM deinde de sua versione componenda DATHENUM consuluisse qui, postquam eam perlegerat, ex animo optasset, ut sui ipsius operis loco illa versio in Ecclesia substitueretur <sup>2)</sup>.”

---

*Psalmen Davids uit de Hebreische Spraecke in Nederduitschen dichte op de ghewoonlycke Fransoysche wyse overghesett.* W. BROES comparationem instituit MARNIXII illam versionem inter ac Dathenianam. (*Philips v. Marnix* Tom. II. part. I.), et causus exposuit, quare nunquam in Ecclesiam illa fuerit recepta.

1) Cf. Praefatio MARNIXII qui in utràque versionis suae editione scripsit (a. 1580 et 1591): „dat hy M. PIETER DATHENUM niet schelden of straffen wil, noch syne overzetting „uyt des ghemeynen mans handen rucken. Hoewel hy dickmaal in zyn leven bekend heeft, dat sy met grooter haeste gemaect was, dat die hem schier als een ontydige geboorte was afgedrongen geweest,” etc. Cf. VAN IPEREN, *Kerk. Hist. van het Psalmgez.* T. I. pag. 139.

2) ANDRIES ANDRIESEN, *Aanmerkingen op de psalmberijming van Datheen*, pag. 175. „Gelijk ook de Heer VAN MARNIX met zijne voorkennis en raadt, een nieuw werk ondernam; 't welk voltooit van DATHEN zelve geroemt en geprezen is, zelf van herten wenschende dat het in plaatse van 't zijne bij de Nederlandsche gemeente aangenomen mogte worden.”



Sic stabilita fuit *Datheniana* versio in Ecclesia et per duo saecula aboliri non potuit, quamvis per plures Davidis psalmorum versiones rythmiceae, *Dathenionae* illi longe antecellentes, per hocce temporis spatium in lucem prodierunt. Cujus rei multae adfuerunt causae.

Miramur fere Synodum a<sup>o</sup> 1581 *Medioburgae* habitam, quum haud pauci in Ecclesia DATHENO propter ejus cum Principe rixas et tumultus Gandavenses, quorum particeps fuerat, infesti exstiterant, MARNIXII, nunc editam, versionem, non commendasse. Sed major antistitum pars nimis dilectam adhuc habuisse

---

Cum hocce testimonio prorsus pugnare videntur, quae BURMANNUS (Syll. Epist. l. l.) de MARNIXIO scripsit: „Queritur ALDEGONDIIUS (XXI Nov. 1580) de Theologis et ministris verbi detrectantibus suam operam et qui DATHENI obsequentes calumniis et obliquis obtrectationibus ejus practulerunt psalmos, etc.” Difficile sane est hac de re certi quid statuere. Constat apud Synodi socios non tantum in censum venisse quaestionem, quam melior esset DATHENI an vero MARNIXII versio. MARNIXIO minime favebant omnes illi antistites, qui aequae ac DATHENUS. GUILIELMI commercium cum Gallis improbaverant. MARNIXIUS enim imprimis Principem ad tale incitaverat commercium. Praeterea DATHENUM inter ac GUILIELMI administrum dissidium exstiterat, postquam hic Principis jussu tumultus Gandavenses sedare frustra tentaverat. BURMANNUS autem agit de anno 1580. Statuendam igitur est, aut DATHENUM tunc revera sua in Ecclesia auctoritate abusum esse, ut adversarii opus arceret, aut MARNIXIUM talia DATHENO increpantem, aversioni suae erga DATHENUM nimis indulsisse. Prius probabilius quidem videtur. Anno 1578 vero DATHENUM, privatas illas ob causas, MARNIXIUM oppugnasse probari nequit.

videtur *Dathenianam* illam, quam ut MARNIXII fautores aliud quid efficere potuerint, nisi quod DATHENI opus nec abrogaretur nec iterum sanciretur.

*Haganam* vero Synodum, quinque annis post sub LEYCESTRIS auspiciis congregatam, talem ad abrogationem proclivem non fuisse facile intelligitur, in memoriam dum revocetur, quale erga DATHENUM curae ac sollicitudinis documentum eadem illa Synodus dederit. Eo tempore praesertim in Ecclesia praevalebant illi, qui Calvini dogmata quam acerrime propugnabant. Multum huc contribuerunt exsules Flandrici, qui in provincias septentrionales refugerant et, fervidiore plerumque indole, per multos annos in res nostras Ecclesiasticas aequae ac politicas vim exercuerunt haud exigua.

Dum illa Flandrica in nostra patria praevalebat factio, cujus assclae ad unum fere omnes DATHENI ejusque operi favebant, versio *Datheniana* stetit „saevis tranquilla in undis.” Qui vero hujus abrogationem petierunt, vel quia ZWINGLIII magis addicti opinionibus, DATHENI, turbulenti Calvinistae, opus avversabantur, vel quia illius versionis vitia ac menda bene perspiciebant — vocem quasi in deserto ediderunt. Ne Synodus quidem Dordracena annis 1618, 1619 habita, quae tantâ munita erat auctoritate, decrepitam amovere ausa est DATHENI versionem, quamquam bene multos ejus Synodi socios haud adeo magni illam fecisse suspicari licet. Verebatur enim ne populus, qui admodum eam dilexit, in diversa abreptus studia, tumultus eieret.

Praeterea, Poesi Belgica, in diem magis exulta, illius Synodi socii spem fovisse videntur, fore ut optimi in patria poetae operi manum imponerent, et meliora



etiam quam ea quae MARNIXIUS dare potuerat, Ecclesiae in usum praestarent <sup>1)</sup>).

Quam Synodi Dordraecenae spem revera haud inanem fuisse, permultae posthac in lucem editae Davidicorum hymnorum versiones Belgicae probarunt <sup>2)</sup>. Cygnus etiam noster Agrippinus sacra sua cecinit carmina <sup>3)</sup>.

Neque illa tamen neque *Dathenianae* versionis emendationes, quas subinde ediderunt nonnulli <sup>4)</sup>, placuerunt populo. Imò hae ipsae emendationes, quarum haud paucae *Dathenianae* vix praesentent, multo magis populi pertinaciam provocabant. Insignis illa, quae *Datheniana* versio gaudebat, popularis favoris aura explicanda nobis videtur, partim e quodam vetustatis tem-

---

1) BROES, l. l.

2) Anno 1686 HENRICUS GHYSEN, jam septemdecim recensuit Psalmorum versiones, e quibus, optimis e quaque versione versibus electis, novam componere sibi proposuit versionem. Cf. VAN IPEREN *Kerkelijke hist. van het Psalmgezang* Tom. I. pag. 198. sqq. ANDREAS ANDRIESSEN antistes Vercensis a. 1756 40 jam nuncupare potuit tales versiones, quem insignem numerum nonnulli postea adhuc adauxerunt. l. l.

3) Nimis tamen Romano-Catholicum redolebant thuris odorem, quam ut nostratibus placere potuerint. Cf. ANDRIESSEN l. l. pag. 186.

4) Inter illos *Dathenianae* poeseos emendatores recensendi sunt: J. REVIUS, VAN HEULE, ABRAHAMUS TROMMIUS, cujus opus: „*Eene zachte verbetering der Psalmen van P. Dathenus*” nonnullis DATHENI fautoribus valde placuit. Plerique autem, qui novam plane ediderunt versionem, quantum ejus fieri potuit, haud procul a *Datheniana* versione recedere studuerunt, ut nempe populo magis placerent. Cf. ANDRIESSEN l. l.; VAN IPEREN l. l.

porisque peracti amore, qui omnem qualemcumque in rebus sacris mutationem aversabatur; partim ex obedientia tot Synodorum decretis debita, partim denique ex errore, fere ridiculo<sup>1)</sup>, quem apud multos rudiores hujus aetatis homines exstitisse legimus: quasi DATHENUS in psalmis Davidicis interpretandis non minus quam ipse DAVIDES Spiritu Sancto ductus fuisset vel etiam hujus opus emendasset<sup>2)</sup>. Praesertim vero idem ille favor eloquens testis est habendus pie et constantis venerationis, quâ populus DATHENI, Ecclesiae ac verae fidei propugnatoris, persecutus sit memoriam.

Cum igitur per temporum decursum apud peritiores

---

1) Cf. ANDRIESEN, qui in opere laudato Cap. IV rationes recensuit ac refutare conatur, quae afferri solebant ad DATHENI versionis usum tuendum.

2) Idem l. I. pag. 5. e praefatione HENRICI BRUNO versionis, nonnulla narrat haud indigna, quae hic referantur: „vele eenvoudigen „meenen dat de Psalmen DATHENI, de Psalmen Davids: en dienvolgende Godts onveranderlijk Woordt zelve zijn. Mij is zelfs in s' Gravenhage gebeurt: Dat ik eens uit de Nederduitsche kerke kwam; „een Borger van myn grote kennis, ziende dat ik een boek in „de hand had vraagde wat het was. Ik antwoorde: het zyn de „Psalmen van MAROT en BEZA. Hoe! zeide hij, dit kan ik niet „verstaan. Ik voegde daar op: Dat ik geen lust hadde Datheni „Psalmen te zingen, dewijl die andere ongelyk, mijns oordeels, „beter waren. De goede man zoude bijna een nieuwe Overpriester van zig gemaakt hebben, meenende dat ik Godslanderlijk „sprak *dewijl* DAVIDS Psalmen (t'geen geen Jood, geen Christen „tegen spreekt) *Godts Woordt waren en denzelve door DATHENUS* „(o! Sancta simplicitas!) *verbetert waren.*” En zoodanigen zouden, wie weet hoe velen gevonden worden.



contemptus quidam ejusdem *Dathenianae* versionis existisset, atque in dies inresceret, haud pauci eorum, qui ejus abrogationem optabant, id ante omnia agendum esse putarunt, ut immoderatam, quâ vulgus ducebatur, DATHENI venerationem infringerent et labefactarent<sup>1)</sup>. Frustra tamen inde ab anno 1745 in Ecclesia ac republica quaestio de nova quadam versione in cultum introducenda, ab Ecclesiasticis aequae ac politicis agitabatur. Frustra viri, qui cultioris erant ingenii, aut longis ratiocinationibus, aut Satyrae telis utebantur, et DATHENI imaginem, asininis ornatam auribus<sup>2)</sup>,

---

1) Cf. Opusculum „*Datheniana*” pag. VII, ubi pseudonymus auctor enarrat, DATHENUM a Magistratu Rhenotrajectino poena exilii affectum esse. Cf. p. 51 sqq.

Sufficiat hic judicium afferre JUSTI VAN EFFEN, sollertissimi „spectatoris” auctoris: „In het werk van DATHENUS worden alzo weinig oordeel en Poëtische gaven bespeurd, als er zachtmoedigheid en menschlievendheid in zijn leven uitblonken etc. Cf. *Dathenianasche bedenkingen over de Maandelijksche Bijdragen van Lente en Grasmaand*. N°. 5 en 6. 1759. infine.

2) *Datheniana of ophelderingen en aanmerkingen over de vermaarde Psalmberijming van P. DATHENUS* — door en onder het toezicht van JUVENALIS GLAUCOMASTIX, *Beschermer der verdrukte onnozelheid*. In praef. — Talem in DATHENUM impetum ab illo arcere conabantur alii; ut e. g. Scriptores diarii Leydensis cujusdam: *Maandelijksche Bijdragen* etc., et pseudonymus quidam edendo: *Vertoog over het nuttig gebruik en ontstichtend misbruik van het Psalm-Gezang*, etc. door PROBUS, Amsterdam 1766. Haec denuo ab aliis hymnis Satyricis, ex obsoletis *Dathenianae* versionis vocabulis, compositis, excipiebantur. VAN IPEREN, Tom. I. pag. 247 sqq.

aeternae quasi derisioni tradiderunt. Triginta fere anni practerlapsi sunt, antequam scopus ille attingebatur.

Tandem enim anno 1773 congregatio, ad quam Ecclesia quaeque provincialis suos delegaverat legatos, difficillimum suum perfecit opus, et novam illam, qua nos adhuc utimur, versionem composuit<sup>1)</sup>. Omnium in patria cultiorum applausu fuit recepta. In orationibus sacris, in hymnis, ad coelum usque extollebatur. Haud sine delectatione quadam, cui indignatio erat intermixta, hi laudatores in memoriam sibi re vocabant, quamdiu claudicans et decrepita illa DATHENI versio fastidium ipsis movisset, et de ipsius auctoris, nunc denuo reviviscente et omnium in oris versante, historia ac indole omnes aliquid, sed raro in bonam partem, narrandum habebant<sup>2)</sup>. Sic infausta quaedam ac ridicula de DATHENO traditio magis magisque se propagavit, quae ad nostra usque tempora pervenit.

---

1) Cf. VAN IPEREN, l. l. Tom II.

2) VAN IPEREN, l. l. Inter multas, quae tunc in lucem prodierunt orationes sacrae, multa de DATHENO ejusque historia exhibuisse dicitur: A. ROTTERDAM; *De juichende wachters van wege de Heerlijkheid des Heeren en de invoering van een wijs verbeterd kerkgezang, in plaats der verouderde Psalmberijming van den lofwaardigen PETRUS DATHENUS, of kerkelijke Leerrede over Jesaja XXIV: 14, 15, 16.* Amstelaedami apud s. VAN ESVELDT. 1775. Frustra hunc libellum indagare conati sumus.

Inter scripta poetica quae DATHENUM explodebant recensenda sunt: Duo carmina ELISABETHAE WOLFF, *De ongelukkige morgen. Datheniana*; et *Datheensche Eerzuil opgericht door DATHENARIUS.* Ut alios mittamus. Cf. VAN IPEREN, l. l. p. 30 sqq.



Minime vero illud Ordinum decretum,<sup>1)</sup> quo *Datheniana* abrogabatur et nova introducebatur versio, populo rudiori, imprimis in coetibus ruralibus, aequaliter gratum atque acceptum fuit. Quid? Quod nova illa psalmodiarum versio, nonnunquam haud sine magna perturbatione, hîc illîc quidem, gravibus haud sine tumultibus introduci potuit<sup>2)</sup>.

Dubitari licet an unquam cantus *Dathenianus* in patria nostra prorsus obtineat. Nisi illud quod famâ percrevit fraudem nobis fecerit, hisce ipsis nostris diebus DATHENI psalmis utuntur coetus nonnulli, maxime in Zeelandiâ, qui Ecclesiae reformatae Neerlandicae a communione se separarant. Unus ex hisce coetibus praecedente anno *Dathenianam* denuo edi curavit Psalmorum versionem.

DATHENUS Psalmorum versionem suam *Francothalii* quiete conficiens parum praesagire potuit, per tot annorum spatium hoc suum opus superstes fore. Minus etiam praesagire potuit, quum fama ejus longe lateque esset dispersa, se propter illud ipsum suum opus a posteritate contemptu ac derisione affectum iri!

A nobis vero, quibus *Datheniana* versio tanquam historicum quoddam documentum tantum exstat, ut judicium de illa ejusque auctore proferamus absque studio ac ira, veritatis atque aequitatis amor exigit.

---

1) Ordines *Hollandiae* ac *Frisiae* caeteris fuerunt antesignani, Jam d. 1<sup>o</sup> m. Oct. 1773. novam sanxerunt et introduxerunt versionem. l. l. pag. 418.

2) VAN IPEREN l. l. p. 463.

§ 2.

*De DATHENI Catecheseos Palatinae et Liturgiae versione.*

Ut populares non tantum meliore uterentur in cantu Psalmorum versione, sed completum atque absolutum quoddam haberent rituum compendium <sup>1)</sup>; nec minus eo consilio, ut Reformati Belgici cum Palatinatus coetibus arctiore vinculo unirentur; DATHENUS Psalmorum suae versionis *Catecheseos*, et *Liturgiae*, quae in Palatinatu erant receptae, adjecit versionem, una cum precum nonnullis formulis.

DATHENUM ipsum *Catechesin Heidelbergensem* sive *Palatinam* e lingua Germanica in sermonem Flandricum interpretatum esse jam coniecit GERDESIUS <sup>2)</sup>, et postea omnium fere historicorum testimonio affirmatur <sup>3)</sup>. Alii primam Catecheseos illius versionem quae *Emdae* a<sup>o</sup> 1563 in lucem prodiit, DATHENO tribuerunt nostro <sup>4)</sup>. Alii, praeunte LE LONGIO, a<sup>o</sup> 1566 DATHE-

---

1) DATHENUS in praefat. „opdat ook de christelijke lezer een volkomen Handboekken hebben mogte, hebbe ik den Christelijken *Catechismus* ende den voornaemsten deel der *kerken ordeninge* ende der *Gebeden* soo die by ons gebruykt zyn (verosimiliter hisce verbis Francothaliium indicare voluit) tot den Psalmen laten drukken: alles tot beteringe der kerke Christi.”

2) *Scrin. Antiq.* Tom. I. pag. 13. Cf. s' GRAVEZANDE, l. l. pag. 55.

3) Cf. e. g. s' GRAVEZANDE, l. l. *Gendtsche Geschiedenissen.* Tom I. pag. 14.

4) BORSIUS, *Overzicht van het trapswijze toegenomen en bekrachtigd gezag der Geloufsbelijdenis en van den Catech.*, etc. in KIST et ROYAARDS *Archief.* Tom. IX. p. 296. J. MENSINGA, *over de Liturgische Schriften.* caet. pag. 32.



NUM laudatam vertisse Catechesin statuere maluerunt <sup>1)</sup>).

Priorem, quam recensuimus sententiam idoneis argumentis probari non posse, recte, ut nobis quidem videtur, monuit cl. VINKE <sup>2)</sup>). Rationes ob quas LE LONGII verba, quibus diserte testatur DATHENUM primum suam versionem edidisse a<sup>o</sup> 1566, in dubium vocaremus, desunt.

Ab altera parte quaerere licet quam ob rem DATHENUS *Emdanam* illam versionem <sup>3)</sup> quae tribus annis ante jam in lucem prodierat, Psalmorum suae versioni non adiecerit, et e contrario plane novam ipse confecerit interpretationem? Nec ipse DATHENUS in praefatione suae Psalmorum versionis se illius Catecheseos versionis esse auctorem <sup>4)</sup> affirmat. Contrarium vero ex ejus verbis efficere minime licet. Forsitan *Emdanam* versionem, quae hic illic a *Datheniana* illa discrepat, emendavit DATHENUS. Quinque una cum ejus Psalmis in patriam fuerit recepta ac dispersa mirandum non est, versionem illam DATHENI tanquam auctoris nomen in fronte gessisse.

Quidquid hujus rei est, DATHENO debet Ecclesia Neêrlandica Reformata gratias quam maximas, quod apud nostrates olim introduxit opus illud quod, temporis quo ab URSINO fuit confectum ratione habita, multis nominibus laudandum est; quodque per tria fere saecula innumeris institutioni non tantum fuit sed et

1) Cf. LE LONG, *K. Hist. Verk.* etc. pag. 131. 'S GRAVEZANDE, l. l.

2) In praefatione ipsius librorum symbolicorum editioni praefixa, pag. 73. Cf. J. ENS. *Kort. hist. berigt*, caet. pag. 49.

3) Quam retulit LE LONG, l. l. pag. Additam. I. p. 145-188.

4) Cf. locus e DATHENI praef. supra allat.

consolationi animi. Ab initio inde nostratibus optime placuisse, magis fere quam ipsam Fidei Confessionem, historia docet<sup>1)</sup>. A Synodis fere omnibus in Ecclesia nostra habitis commendata et sancita, inter Libros Ecclesiae Neêrlandicae reformatae symbolicos, suum et dignum quidem occupavit locum<sup>2)</sup>. DATHENI redactio per temporis decursum nonnihil fuit mutata. Editiones, quas a<sup>o</sup> 1580 CASPARUS HEYDANUS, a<sup>o</sup> 1615 THYSIUS procuraverunt, a DATHENIANA illa a<sup>o</sup> 1566 edita, haud multum discrepant<sup>3)</sup>. Idem fere valet de ea, qua nos adhuc utimur versione, nisi quod lingua purior ac magis correcta sit dicenda.

*Liturgia*,<sup>4)</sup> quam DATHENUS una cum laudatis suis operibus Ecclesiae sub cruce obtulit, non mera versio

---

1) Cf. cl. VINKE, l. l.

2) l. l.

3) LE LONG, l. l. pag. 131.

4) Continebat illa sequentia :

1. Forme van den Heylighen Doop uit te richten.
2. Volght een corte ondersoeckinghe des gheloofs voor de gene die sich tot de Gemeente begeven willen.
3. Forme om dat Heylighe Avondmaal te houden.
4. Forme om Houwelycken voor de Gemeente Christi te bevestigen.  
Christelike gebeden die men in de vergaderinge der Gerloovigen en elders ghebruyken kan.
5. Ghebedt des Sondaechs voor de Predicatie.
6. Eene algemeyne belydinghe der sonden ende ghebet voor alle noot der Christenheyt. Des Sondaechs na de Predicatie.
7. Een ghebedt voor die leere des Catechismi.
8. Ghebedt na de leere des Catechismi.
9. Een oentliche bekentenis der sonden ende ghebet voor de Predikatie.



habenda est, illius quae in Palatinatu et speciatim Francothalii assumpta erat.

Ad eam componendam praeter illa, quae e Liturgia Palatina sumserat, alia quoque in suum adhibuit usum, uti: *Liturgiam Genevensem*, MARTINI MICRONIS ac JOHANNIS A LASCO labores <sup>1)</sup>. DATHENO speciatim tribuenda sunt:

In formula baptismi sacri administrandi, quaestiones, quae parentibus proponi solent, DATHENI redigenti manus sunt tribuendae; partim sumptae sunt e JOHANNIS A LASCO opere.

Primae quaestioni quae apud A LASCO invenitur substituit DATHENUS suam secundam quaestionem, <sup>2)</sup> verosimiliter ut satisfaceret cum Genevensibus tum Palatinis Theologis, qui ante baptismum symbolum Apostolicum legendum esse statuerunt.

<sup>Behandelt</sup> <sup>moet</sup> Fatendum est hance DATHENI permutationem, si attendimus *infantes* esse qui baptismum subeant, quique ergo simbolo assentire nondum possunt, <sup>verosimiliter</sup> minime esse improbandam. Minus recte tamen, ut mihi quidem videtur, MENSINGA DATHENUM, quem nunc laudat nunc

10. Een corte forme des ghebedt nae de Predicatie.
11. Dat Morgenghebedt.
12. Dat Avondtghbedt.
13. Ghebedt voor Eten.
14. Ghebedt nae Eten.
15. Ghebedt voor kranke ende aengevochte menschen.
16. Een ander diergelycken.
17. Ghebet by de begravinghe der Dooden.

1) Cf. MENSINGA, l. l. p. 33.

2) l. l. pag. 157.

vero <sup>carpit</sup> in eo reprehendendum esse censuit, quod baptismi testes, parentes inprimis, de eorum sana fide interrogari voluit. <sup>volgens</sup> E Theologia *Datheniana* ab hac <sup>nl. nist</sup> quaestione omnia pendent, neque <sup>nl. nist</sup> infantes membra verae Ecclesiae, semen quasi Ecclesiae esse possunt, nisi ortum duxerint e parentibus sanae fidei, veraeque Ecclesiae addictis. Formula sacrae coenae celebrandae ad litteram fere e Liturgia Palatina a DATHENO redita est. Idem valet de formula nuptias consecrandi. Inter preces quas Liturgiae adjunxit DATHENUS, illae, quae die dominico ante orationem sacram effundendae erant, una cum illis, quae Catecheseos expositionem sequerentur, DATHENUM habent auctorem. In precibus post concionem habendis atque in illis quae aegrotantibus vel moribundis praelegendae sunt, multa insunt, quae DATHENI irenicum produnt consilium, omnes controversiarum articulos evitandi, unde inter ipsos Protestantes rixae exortae erant.

Ut et illa Liturgia una cum *Catechismo Palatino* in patria nostra acciperetur pariter invaluit ipsius DATHENI auctoritas. Ab anno inde 1568, aequae ac Catechesis, S. Codicis editionibus adjecta, per omnes Neêrlandicas regiones dispersa est, ac nemine fere contradicente recepta.

Liturgia, qua hodie utitur Ecclesia nostra, pro haud exigua parte DATHENI retinuit Liturgiae interpretationem vel redactionem, et quamquam per temporis decursum nonnulla ex ea ejecta ac desecata sunt, nonnulla quoque nova addita, revera tamen hodierna quoque Ecclesia et nunc DATHENI laboris fructibus uti dici potest <sup>1)</sup>.

---

1) Historiam Liturgiae Dathenianae uberius hîc exponere nobis



*De ceteris DATHENI scriptis.*

Cetera DATHENI scripta aliis prorsus usa sunt factis. Uti scripta, huc usque a nobis laudata, omnibus omnino cognita sunt, cetera de quibus verbo adhuc dicendum erit, plane in oblivium abierunt. Nec mirum: ad unum omnia temporis angustia premente atque adeo crassâ Minervâ conscripta, consilio scriptoris optime fortasse inservierunt; nobis tantum minoris sunt pretii. Haud prorsus tamen sunt contemnenda, quatenus fontes nobis praebent, e quibus dogmaticam DATHENI indolem cognoscere possimus. Omnes fere illi libelli apologetico-polemico consilio confecti sunt. Stylus *Dathenianus*<sup>1)</sup>, ut ipse ejus auctor, vehemens est dicendus et ardens, firma persuasione afflatus. Magnum

---

otium fecit, acutus ac accuratissimus labor saepius laudati MENSINGAE, quem benevolus lector, si plura cupiat, adeat.

1) E multis, quae hîc afferri possent, styli Datheniani exemplis haecce sufficiant. „Non mundi pacem expectant nostri (quod miser hic sibi persuadet), qui Evangelium verbum crucis esse didicerunt, sed ad unitatem pios ZACHARIAE verba hortantur, ut conjunctis viribus ac spiritualibus armis Antichristi regnum evertant Christique Ecclesiam instaurent. Omnino nobis non quadrat illa concordia Herodis et Pilati, cum Pontificiis eam optime competere quotidiana experientia aptissime declarat. Nam illi persequuntur et nos persecutionem sustinemus. Sed pro foribus est judicis Christi adventus, qui sanguinem quam crudelissimi papistae effundere non cessant, severissime vindicabit, quod ut brevi fiat ex animo precor! Amen!” Cf. GOLDAST, pag. 1263.

vero discrimen inter DATHENI dictionem ubi „Satanicam” (sic!) Ecclesiae Pontificiae doctrinam oppugnat ac in iis libellis, quibus contra Lutheranos sui coctus jura tueri conatur. In illis odium indelebile se patefecit, reconciliationem omnem respuens, in hisce vero profundus quidam de discordia ac dissidio inter Protestantos dolor, ac pacis studium loquitur. Nunc propheticam quasi assumit dignitatem, qua Dei inimicis, instantem ejus annunciat vindictam, aut longis ac saepe intermissis sententiis argute suam exponit opinionem. Nunc satyris popularibus et jocis, quibus nobis crassiores vel insulsi profecto viderentur, „synagogam papisticam” oppugnat. Nunc vero moderatis ac modestis utitur verbis ad fratres ad amorem Christianum incitandos. Inter optima, quae DATHENUS scripsit, referendus sane est libellus quem in Francofurtensis coetus gratiam conscripsit<sup>1)</sup>. Sic quoque judicavit GUILIELMUS FREDERICUS rex *Borussiae*, qui anno 1793 quum quaestio de aede sacra Reformatis in urbe Francofurti concedenda agitaretur, sententiam edidit: hocce DATHENI scriptum perdignum esse quod denuo<sup>2)</sup> typis expressum ac in lucem ederetur. Quod tamen an revera factum sit ignoramus.

Ceterum animadvertendum est: DATHENUM, ut ipse iterum iterumque testatur, polemica aequae ac apologeticae suae opuscula non nisi necessitate coactum conscripsisse. Omnia quae DATHENUS scripto reliquit, prouti ad nostram pervenerunt notitiam, hic brevi conspectu, ordine chronologico complectimur:

---

1) Laudatus sub N<sup>o</sup>. IV. 2) Cf. *Bibl. Brem.* Cl. III. I. pag. 340.



I. *Compendiosa et diserta ad annotationes papistae cujusdam anonymi, quibus pontificios Wormatiensi colloquio collectos, excusare et e contra Augustanae confessionis Theologos, abrupti colloquii accusare conatur, Responsio, quam Lectorem diligenter perlegisse minime poenitebit; nam in ea breviter quam sanctam et justam Evangelicam et quam inpiam Papistae, reclamante conscientia, causam defendant, declaratur, PETRO DATHAENO auctore. Donec meliora Dominus. Anno 1558, 5 Aprilis.*  
Ps. LXXIX.

II. *Libellus vernaculo sermone conscriptus de Baptismo Infantum 1559.*

III. *Ad BARTHOLOMAEI LATOMI rhetoris calumnias, quibus Augustanae confessionis Theologos anno 1557, Wormatae colloquii collectos gravat ac traducit, PETRI DATHENI responsio prima <sup>1)</sup> et secunda 1560. Francofurti apud MICHAELEM CHIRAT.*

IV. *Kurze und wahrhaftige erzehlung, welcher massen den Frantzösischen und Niederländischen der wahren Religion halben verjagte Christen in der Stadt Francfurt im vier und fünffzigsten und ettliche folgende jahr die öffentliche Predigt Göttliches Worts und ausspendung der H. Sacramenten in ihrer sprach verstattet und auss was ursachen ihnen nachmals solches verboten worden ist, durch PETRUM DATHENUM 1563.*

V. *Grundlicher und nothwendiger ableinung des Gegenberichts 1563 <sup>2)</sup>.*

---

1) Hicce libellus prodiit in celeberrimo illo principum conventu qui a<sup>o</sup> 1557 Francofurti habitus est. — Cf. Resp. Pr. pag. 1.

2) Conf. DATHENI, *Beständige antwort.* pag. 92.

VI. *Psalmorum Davidicorum versio Flandrica* 1566.

VII. *Catecheseos Palatinae*, et

VIII. *Liturgiae Palatinae versio*, eodem anno ed.

IX. *Protocollum colloquii Francothaliensis*, a CASPARO HEYDANO interpretatum a<sup>o</sup>. 1571.

X. *Beständige Antwort ettlicher Fragstück so die Predicanten zu Francfurt am Mayn zur prob über die jungst zu Dresden der Churfürstlichen Sächsischen Theologen gestellt Bekandtnuss, in truck zur warnung ausgehen lassen, durch PETRUM DATHENUM verfertiget*, Heidelberg, apud J. MAYER 1572.

XI. *Praefatio libelli cujusdam, cui titulus: Historie van de Spaensche Inquisitie, uitgesteld door exempelē, opdat men die te beter in dese laetste tyden verstaen moch, wt het francoys in onser Nederduitsche sprake overgeset door J. D. B. 1569*<sup>1)</sup>).

XII. *Praefatio libri: Den gantschen Schat der Heylighen Schriftueren of Bybelsche Concordantie ende seer schoon register van de voornaemste materien, die in't Oude end' N. Testament zijn begrepen, nu eerstmael gestelt in de ordonnancie van den A. B. C. met de vermaening oft voorrede tot den christelycken leser van M. PETRUS DATHENUS*. Leyde 1579.

XIII. *Belgica Versio libelli Gallico sermone conscripti, cui titulus „Wachtgeschry”*<sup>2)</sup>).

---

1) *Indicatur in catalogo Bibliothecae Hulthemianae* (Bibliothèque de Bourgogne). Bruxellis.

2) „*Waarin syne Excellentie (GUILIELMUS) seer lovelick by „Trasybulo wordt vergeleeken, die Athene van de XXX tyrannen „verlost heeft.” Apologia Dath. Art.*



XIV. *Verantwoording op de Disputatie te Audenaerde tusschen Adriaen Haemstede en Jan Daelman door PETRUS DATHENUS Antw. 1582* <sup>1)</sup>.

XV. *Puncten ende Artyckelen op dewelcke PETRUS DATHENUS jegenwoordelyk te Utrecht gevangen, is gevraagd geweest en verantwoordinge PETRUS DATHENI.*

§ 5.

*De DATHENI dogmaticis opinionibus.*

Si quis hujus Paragraphi initio in memoriam sibi revocaverit, quod supra monuimus: DATHENI scripta ad unum fere omnia, datâ opportunitate composita, vel urgente temporum necessitate, in lucem evocata esse, is sane facile intelliget Theologiae dogmaticae systema ad scholae diligentiam exactum, vel ab omni parte absolutum frustra in ejus scriptis quaeri. Etiamsi DATHENUS majori doctrinae copiâ instructus ac tali judicii acumine praeditus fuisset, quale jure meritoque in CALVINO miramur, vel sic tamen, totus in studiis Theologicis versari vix potuisset, cui minime uno eodemque loco vitae suae tabernaculum collocare contigit, sed cujus vita quantopere vaga et inquieta fuerit, ex tota ejus biographia compertum habemus. Uti autem DATHENUM, quum ejus ingenii dotes, doctrinae copiam vel studiorum fructus respicimus, vix vel ne vix quidem *Theologi* veri nominis titulo ornandum censemus, sic quoque ejus aequales ac populares,

---

1) Vide Catalogum Bibl. *Joannis de Koning*.

minime tanti illum fecerunt, quoniam Theologum illum habuerint, aliis longe antecellentem, omnium laude et admiratione dignum, sed quoniam dogmatum, quae ipsi amplexi erant, strenuum et aptissimum viudicem et propugnatorem se probaverat, ac sive vernaculo sive Latino sermone utens, cum scribendo tum dicendo, semper illud dicendi genus sectatus erat, quod ad populi indolem et omnium captum maxime erat compositum. In Theologia *Datheniana* eadem nos advertit conjunctio vel confusio Calvinismi, Melanchthonianismi et Zwinglianismi, quam in Ecclesiâ nostrâ reformatâ, inde ab ejus primordiis exstitisse, hujus historia nos docet, ac ipsa scripta nostra symbolica ac Liturgica testantur <sup>1)</sup>).

DATHENUM Calvinistam fuisse ad unum omnes affirmant Historici, et recte quidem, si nomen quaeris,

---

1) Cf. Cl. P. HOFSTEDÉ DE GROOT: *Beschouwing van den gang, dien de Christelijke godgeleerdheid in het algemeen dus verre in Nederland heeft gehouden*: inserta operi saepius landato KIST et ROYAARDS *Archief*. T. XIII p. 123—190. Recte monuit vir. cl. p. 146: „Er heerscht in de Liturgie meestal de Oud-Nederlandsche geest, veredeld door dien van LUTHER en MELANCHTHON. Doch uitzonderen moet men het *Formulier om den H. doop te bedienen aan bejaarde personen*: 't welk in de Dordsche synode van 1618 en 1619 is opgesteld, en meer met de Geloofsbelijdenis dan met de oude Liturgie overeenstemt. In den Catechismus heerscht de geest van MELANCHTHON, wiens meest geliefte leerling, URSINUS denzelven opstelde; in de belijdenis de geest van CALVIJN die haar, het werk van zijn leerling GUIDO DE BRÉS: zelf nazag en goedkeurde; in de Canones ook de geest van CALVIJN wiens volgelingen dezelve vervaardigden.”



quod ipse pro vitae ac doctrinae suae tessera elegerit; recte etiam, quatenus ejus Theologia universe spectata, Calvinismi prae se fert colorem. Bene tamen hic est animadvertendum, quod supra monuimus, non omnes, qui *Calvinistarum* nomine a *Lutheranis*, *Anabaptistis*, *Pontificiis* distinguebantur, omnia illius Reformatoris dogmata penitus cognita habuisse, vel bene perpensa mente sua receperisse. Atque hoc ipsum hand scio an aliquatenus etiam de DATHENO nostro valeat. Sic e. g. in Theologia sua DATHENUS praedestinationis dogma, quod CALVINUS veluti cor ac medullarium suae doctrinae haberi voluit, omnino amplexus est, raro tamen aequae ac URSINUS in Catechesi nostra Palatina, illud attigit. Si autem dogma circumspicis, ad quod fere cuncta revocet, dogma de Ecclesia in ejus Theologia praevaluisse ac primum illum locum occupasse dicendum erit. Praeterea DATHENUS, dum in Germania versabatur, iterum iterumque in controversias cum Lutheranis vocatus, ex animo speravit fore ut cum illis, quos verae Ecclesiae annumerare nullus dubitavit, reformati unius societatis vinculo conjungerentur. Suspiciari igitur licet, eum in exponenda Calvinii doctrina sibi temperavisse, ac nonnunquam, praesertim in doctrina de Sacra Coena suam mitigasse vel aliquantulum accommodasse sententiam.

Hic loci igitur in illa tantummodo dogmata inquirere praestat, unde intima ejus persuasio veraque indoles optime cognosci queat. DATHENUS minime propter dogmaticas, quae illi privatae et peculiare fuerunt, opiniones, tanquam persona magni momenti in Histo-

ria est praedicandus, sed propterea quod iis in *praxin* convertendis mirabili prorsus ratione sibi constitit.

Inter illas dogmaticas opiniones, quae insignem ac praevalentem vim et efficaciam in DATHENI animum omnemque ejus agendi rationem exercuerunt, haud infimum tenent locum dogmata: de *Codice Sacro*, imprimis de Veteri Foedere ejusque auctoritate; praesertim vero de *Ecclesia* ac de necessitudine, quae hanc inter et Magistratum Civilem intercedere debeat.

*Sacri Codicis* scriptores ad unum omnes ita Spiritu Sancto ductos et inflatos esse, ut revera hujus ammannenses ac graphiarii essent dicendi, firmiter credidit DATHENUS. Eandem igitur ac plane aequalem singulis ejus libris tribuit auctoritatem. Dolendum est hanc DATHENI persuasionem, qui in interpretandis L. S. admodum mediocriter erat versatus, multorum errorum uberrimum fuisse fontem. Quandoquidem idem Spiritus Sanctus in Veteri et in Novo Testamento locutus erat, utrumque eadem valere ac gaudere auctoritate statuit. Et quod ad illa praecepta attinet, quae uti in Decalogo e lege morali, omnibus omnino hominibus et temporibus observanda, fluxisse censenda sunt, satis bene; sed ad magnum illud discrimen, quod MOYSIS ac JESU religionem perfectiorem intercedat, parum attendens, *temporalia, personalia ac localia* q. d. prorsus negligens utriusque effatis promiscue usus est.

Ecclesia CHRISTI, ea quae unice vera habenda est, omnes homines pios ac probos, quotquot Dei promissionibus fidem habentes sub V. F. vixerunt, complecti ei visa est. Prophetarum vaticinia testes suos invocans, Israelitis, veri nominis Reformatos, Canaâni-



tis, caeterisque populi selecti hostibus, Romano-Catholicos luculenter significari contendit. Quaecumque Deus loquens adversus infideles locutus esse legitur, ad hos; omnes vero promissiones in illos ac se ipsum referendas esse credidit ac docuit. Ipse igitur Spiritus Sanctus Romano-Catholicos tanquam Idololatrias, Pontificem Romanum (docentibus PAULO et DANIELE) tanquam Antichristum ac Sardanapalum veluti digito demonstravit. Hujus regnum quacunque via ac ratione oppugnandum ac evertendum esse censuit. Anno 1560 huic sententiae, a se expositae, DATHENUS quidem addidit „spiritualibus armis.” Sed revera sibi constitit, quum sex annis post, exemplis GIDEONIS, JOSUAE, DAVIDIS, tanquam „muro ahenco” utebatur, ut populares ad bellum civile excitaret. Vidimus ex ipsa historia, DATHENUM fatis suis adversis meliora edoctum esse ac stadio suae vitae pene decurso, haud sine animi dolore hunc perspexisse errorem. Eadem illa persuasio effecerat, ut DATHENUS infatigabili studio ac ardore Religionis Paci se opponeret, qua GUILIELMUS Princeps aequalia jura ac privilegia Reformatis ac Pontificiis concedere studuit. Et quomodo hic sperare potuit, fore ut DATHENUS ac ii qui prorsus idem cum illo sentirent, promissione se obstringi paterentur: „se nil omnino adversus Pontificios molituros esse”? Quomodo sperare potuit, fore ut PETRUS DATHENUS *πύλος τῆς Εκκλησίας* unquam manum adjutricem praeberet ad Idololatriam, singulari Dei gratia in Neerlandia throno dejectam, restituendam? Nos sane, hisce expositis nunc probe intelligemus, vix aliter fieri potuisse, quin pia sapientissimi ac moderatissimi Principis vota ac

desideria fausto caruerint successu. Quid plura? Eadem firmissima DATHENI persuasio praecipua fuit caussa cur ALENCONII, Romano-Catholici principis in aula illa nati, quae populum Dei perscqui nunquam desierat, quam acerrimus evaderet adversarius. Ipse publice ac palam professus est „se commercium illud semper improbasse, tanquam ipsi verbo divino contrarium ac nunquam se illud approbaturum esse, donec e Codice Sacro aliter esset edoctus!” 1)

Praesertim vero DATHENUS, magnam, quâ polluit, in Ecclesiâ auctoritatem strenuo debuit ardori, quo Ecclesiae jura ac privilegia adversus politicos propugnavit ac tuitus est. Ut appareat DATHENUM hoc quoque nomine cum verbis tum factis sibi constitisse, qualem sibi in formaverit verae Ecclesiae notionem videamus.

Inter criteria, quibus vera et genuina Ecclesia, „Sancta illa ac pura CHRISTI columba,” ab aliis iisque falsis distingui ac dignosci queat, in ejus doctrina haec duo principatum tenent: 1° omnes haeretici ac falsi prophetae arceantur, 2° jure clavium a CHRISTO ipso Ecclesiae suae tradito, ex hujus mente haec recte utatur 2).

---

1) 's GRAVEZANDE, l. l. art. 34.

2) *Responsio DATHENI, ad LATONIUM II.* 44: „Sic nostrarum Ecclesiarum eruditissimi Professores ac plurimi pastores vigilantissimi sectariis omnem Ecclesiae concordiam scindentibus, remis velisque sese opponunt, quare iidem fanatici homines ut apud nos (ubi Euangelii vox pure sonat ac sacramenta rite ac decenter administrantur,) Christi Ecclesia non sit minime efficiant. Cf. p. 141. *Protoc. coll. Francoth.* art. 5.



Jam vero Pontificii et Anabaptistae, ceteraeque sectae uti *Libertinorum* Davidis-Georgianorem vel quae hujus generis plures fuerint, sine ullo dubio haeretici habendi sunt. Non pertinent ad unam eamque veram Ecclesiam, quam CHRISTUS sibi *πρὸς τοῦτοῦ κόσμου* elegit, quamque unice Ecclesiâ reformatâ repraesentari, nullus dubitavit DATHENUS.

Ejusmodi cum ejus firma persuasio fuerit, suam erga Pontificios intolerantium non tantum non excusavit, sed potius illâ semper cum jactantem et gloriantem audimus, quoniam scilicet ex hoc ipso ejus erga haereticos odio patere potuit ac debuit eum Germanum verae ac genuinae Ecclesiae fuisse socium. Eâdem illâ persuasione ductus altâ voce grandique supercilio ERASTO objecit <sup>1)</sup> et objicere debuit, quod hic, thesibus suis disciplinae Ecclesiasticae vim imminuens, viam planam atque apertam ad Atheismum sterneret. Quomodo usquam concessisset, Magistratui tantummodo jus competere talia vitia vel crimina puniendi, ob quae CHRISTI sectatores, secundum leges Ecclesiasticas, a Sacra Coenâ essent arcendi? — In hoc ipso ex ipsius sententiâ, secundum Verbum Divinum, posita et quaerenda erat clavium potestas. Nonne igitur unica vera Ecclesia veritatis Criterium amitteret, si ERASTO cedens atque auscultans, tale sibi a Domino ipso traditum privilegium parvi haberet, vel ab aliis parvi haberi pateretur?

Talem ecclesiam ab omni potestate civili, quae jus in Sacra sibi arrogaret, prorsus liberam atque immu-

1) Cf. supra in specimine nostro pag. 52.

nem esse voluit. Si Deus, pro suo beneplacito tales in thronum evocat principes, qui illi omnibus suis viribus patrocinentur, ejusque jura contra haereticos omnesque Dei adversarios tueantur; tale auxilium Ecclesiae minime respuendum esse duxit. Si vero hi principes sacris se immiscent rebus, quae ad internam Ecclesiae gubernationem sint referendae; si democraticam vel potius oligarchicam qua Ecclesiam induerit CALVINUS, formam, mutare concentur ac sua Ecclesiae praescribant decreta, legum civilium instar observanda; tunc Deo magis quam hominibus obediendum esse statuit DATHENUS.

DATHENUS, quantum novimus, in dogmaticis, fere nullas fovit opiniones, quae illi privae ac peculiare sint dicendi, quocirca illas hęc singulatim exponere nihil attinet. Operae pretium tamen duximus ejus sententiam de *Baptismo Sacro* paucis enucleare. *(verba)*

Jam anno 1559 libellum ediderat linguâ vernaculâ conscriptum, in quo uberius hac de re suam exposuerat sententiam. Quaestio, quae hoc in libello movebatur, ritus sacros spectasse videtur. Utrum nempe infantes, in Romano-Catholicorum templis, baptismo sacro offerre liceret. Cui quaestioni DATHENUM ajendo respondisse perhibuerant ejus inimici. Ipse procul talem a se removere conatus est suspicionem<sup>1)</sup>; quod tamen non impedivit, quominus vagus quidam rumor de peculiari quadam ac suspectâ opinione, quam DATHENUS de Baptismo Sacro foveret, longe lateque se

---

1) Cf. Praefatio Palmorum ejus versionis. (LE LONG, *Kort hist. Verh.* pag. 118).



spargeret. Sic e. c. JACOBUS BUCERUS, Coetus Sand-  
vicensis antistes, in scripto quodam DATHENUM erro-  
ris reum existimavit, quoniam infantes ad Lutherano-  
rum baptismum offerre licitum habuisset. Hic vero,  
qui ut jam supra in Historiâ videmus, satis moderate  
ac liberaliter de caeremoniis, quibus utuntur verac Ec-  
clesiae membra (cui Lutheranos quoque annumeravit)  
sensit, BUCERUM CALVINI ac *Heidelbergensium* Theo-  
logorum testimonio refutare conatus est<sup>1)</sup>.

Ut jam verbo monuimus, quaestiones quae paren-  
tibus in formula baptismi S. proponi solent, a DA-  
THENO nostro oriundae sunt. Ex historia notum est  
quot quantisque rixis ansam dederunt verba quae  
in illis occurrunt, „in CHRISTO sanctificati”<sup>2)</sup>; quasi  
in fatis fuerit ut DATHENI nomen cum rixis in Ec-  
clesia exortis conjungeretur!

Quaestioni, quam ob rem baptizandi sunt infantes  
DATHENUS sic respondit: Deus jam in Paradiso pactum  
iniit cum hominibus, ejus, postea cum ABRAHAMO

1) GERDESII, *Scriv. Antiq.* Tom. V. pag. 174: Haec sunt  
BUCERI ad P. DATHENUM verba: „Volui paucis C. T. indicare  
„literas ex *Frankendale* a D. DATHENO venisse, quibus scri-  
„ptum nostrum confutat, asseritque, se nullam neque culpam  
„habere, nec velle agnoscere. Simul quoque mittit D. CALVINI,  
„Ministri Ecclesiae Gallicae Argentinensis, ac Theologorum *Hei-*  
„*delbergensium* sententias; quae non ita, ut ipse opinatur, contra  
„nos faciunt. Nam D. CALVINUS exigit, ut qui ad Lutheranicum  
„baptismum, ingenue profiteretur quid de coena sentiat,” etc.  
Sandvici 25 Oct. 1562. Cf. J. W. TE WATER, *Ref. v. Zeeland.*  
pag. 35.

2) Cf. MENSINGA, p. 447 sqq.

renovati, sigillum quasi fuit ac insigne circumcisio. Sub Vetere Foedere infantes ad hocce pertinebant pactum, quocirca circumcisi fuerunt omnes. Sub Novo Foedere infantes etiam includit aeternum hocce Dei pactum, nam a CHRISTO amplificatum est, minime imminutum vel infractum. Igitur baptismus qui circumcisionis locum occupat etiam sub Novo Foedere infantibus abnegari non potest. Qui vero illius aeterni Dei pacti ac foederis membrum existit salutem aeternam ut nanciscatur necesse est. Nemo tamen salvus fieri potest, nisi in CHRISTUM credat, et Spiritu Sancto sit renovatus. Igitur infantes credunt, et revera sanctificati, et propter CHRISTI merita a peccato originali sunt liberati et abluti<sup>1)</sup>.

Nonnullos tantum, (i. e. praedestinos) infantes salutem consecuturos esse, hanc restrictionem quam CALVINUS urgebat, apud DATHENUM non invenimus.

Rectissime igitur MENSINGA haecce DATHENI verba e caeteris Ecclesiae Reformatae documentis interpretatus est, quod haec ipsius *Dathenianae* Theologiae nostra expositio probat<sup>2)</sup>.

Idem vero doctus perscrutator DATHENO obcrepat eum non recte baptismi sacri perspexisse characterem quod, e DATHENI sententia jus quo infantibus baptismus administrandus sit, a parentum penderet fide.

DATHENUS nempe alibi<sup>3)</sup> procul a se abjecit il-

1) Cf. *Protocoll.* pag. 508, 549. al.

2) MENSINGA, l. l. pag. 148 sqq. 157.

3) *Kurze Erzählung*, etc. pag. 33 . . . „dass sie für ein grossen „Irthumb schelten, das die verjagte Christen halten, die Kinder

de la chrij  
marce



lam ipsam sententiam quam ei tribuerant Lutherani. Accipi igitur minime licet DATHENUM, qui consilio (ut ipse indicavit MENSINGA) quaestiones illas in eam redegit formam, sententiam iis inseruisse a sua ipsa contrariam.

Sed, nisi fallimur, aliam ob causam DATHENUS illam ad parentes quaestionem „an creditis doctrinam quam Vetus ac Novum Testamentum ac symbolum Apostolorum complectitur?“ baptismi formulae addidisse.

Nisi enim talem profiterentur doctrinam parentes hi membra esse non possent ac socii illius foederis, quod DATHENO sicut etiam CALVINO dogmatis de baptismo erat fundamentum. His vero concessis, sequebatur infantes ex haereticis parentibus natos, minime illius foederis consortes neque igitur baptismi ritu initiandos esse. Quod tamen non ita est accipiendum, quasi propter parentum fidem infantes illius foederis participes redderentur. Hoc unice meritis Christi acceptum referendum erat, sed tollebatur necessario illud privilegium quando ipsi parentes extra Ecclesiam Christi positi sanctissimi ejus corporis membra non essent.

Post DATHENI mortem alia et longe graviora accusatione ejus doctrinam aggressus est Jesuita FRAN-

---

„der Glaubigen seyen auch selig wann sie sterben ehe sie den  
„Tauf überkommen können, nicht von wegen des verdienst des  
„Glaubens der Eltern (wie ettliche fälschlich fürgeben das wir  
„also lehren sollen) sonder von wegen der lauter gnaden und  
„barmherzigkeit Gottes; deren er uns eine gnedige zusagung im  
„1 buch Mozis, cap. 17, gethan hat,“ etc. Cf. MENSINGA,  
l. l. p. 159.

CISCUS COSTERUS<sup>1)</sup> asseverans nempe DATHENUM clandestinum fuisse Arianismi sectatorem. Quibusnam vero e locis haec hauserit vel effecerit, nescimus. Plus semel vero DATHENUS sanam, quae tunc temporis valebat, suam de Jesu Christi persona ac dignitate fidem enunciavit, neque ullus in ejus, quae perlegimus, scriptis nobis occurrit locus, qui talis haereseos suspitionis ansam dederit. Acriter nostri partes egit Jesuitamque refutare conatus est, CASPARUS GREVINCHOVIUS, antistes Roterodamensis<sup>2)</sup>.

Infâusti post DATHENI obitum disseminati rumores de hujus in postremo vitae stadio a vera fide defectione commoverunt Magistratum *Elbingensem* ut palam profiteretur, et BURMANNUM antistitem qui in ipsa ejus mortis hora moribundo adfuerit et medicum quocum intimam contraxerat familiaritatem; utrumque testatos esse DATHENUM ad mortem usque in illa doctrina fide sua amplectenda, perseverasse, quam tanto ardore per totam suam vitam ut pote unice veram aliis commendaverat<sup>3)</sup>.

Haud dubie hoc laudis testimonium DATHENI me-

---

1) In libello: *Bewijs der ouder Catholycker Leeringhe*. Antw. 1595.

2) In libello cui titulus: *onderwysinge van de Cath. religie*, 1597, pag. 176 testatur: dat hy (DATHENUS) in de bekentenisse des geloofs der Catholyke Gereformeerde kerken gestorven is. gelyk hier van zyn eigen hand een bekentenisse een weinig tyts voor zyn doot by hem geschreven en onderteekent. voor handen is en verscheidene vroomen luyden die by hem in zyn krankheit en sterven geweest zyn, betuigen.

3) nor. l. l. pag. 519.



moriae valde honorificum est censendum, si saltem hoc sensu accipi potest: eum quod ad religionis summam attinet in firmissima sua persuasione haud iterum vacillasse. Multum vero de his laudibus esset detrahendum, si iterum dogmatismi laqueis circumventus, ad severam illam ac intolerantem cogitandi, sentiendi agendique rationem rediisset, quae a genuina Euangelii indole quam longissime est remota, divinoque amoris praecepto, quod CHRISTUS suis inculcavit, oppido repugnat. Quid? quod indelebile suum ac immoderatum in Pontificios odium talibus verbis excusare solebat: „Inimicos *diligendos* esse nemo ignorat sed bene inter illos distinguendum esse scriptura „diserte testatur. Alii enim sunt de quibus dicitur „nesciunt quid faciunt” alii denique illi de quibus „DAVIDES: perfecto odio odi illos; inimici sunt facti „mihî.” Et JOHANNES: „si quis venit ad vos et non „affert hanc doctrinam, nolite eum recipere in domum „nec ave dicere”!!)

At ipsum coram Synodi legatis confitenter audivimus, se experientiâ magistrâ meliora ac saniora edoctum, nonnullis erroribus valedixisse, quibus ipse immoderatum illud studium accenseri voluit, quo, perperam allatis V. F. exemplis, populares suos ad bellum civile instigaverat. Licet igitur Ecclesiae Reformatae doctrinae ac placitis inconcussa persuasione animi adhaeserit, sperare tamen juvat fore ut in proveciore aetate, plus minusve a dogmatismi vinculis liberatus, magis magisque illo amore imbutus, qui genuino CHRISTI

1) Resp. ad LATOM. I. pag. 7.

discipulo inesse debet, eos quoque, quos antea oderat vel iniquius condemnauerat, amore vere Christiano amplecti didicerit!

---

EPICRISIS.

*De PETRI DATHENI indole ejusque erga Ecclesiam Reformatam in Neerlandia meritis.*

DATHENI vitam continuata serie enarratam, pro virili vel juvenili parte, exposuimus. Ex innumeris fere locis, ubique sparsis, disjecta quasi corporis membra in unum coagmentare conati sumus. Ejus scripta recensuimus vel paucis lineamentis adumbravimus. Inquisivimus in ejus dogmaticas opiniones. Jam vero quamquam cancelli, quibus academica disputatio circumseribi solet, ac magis etiam temporis concessi angustia, ad metam nobis propositam properare nos jubet, finem huic scriptioni imponere non licet, sine brevi Epicrisi vel Corollario: *de PETRI DATHENI indole bene dijudicanda, ejusque erga Ecclesiam Reformatam in Neerlandia meritis rite aestimandis.*

Magnopere dolendum est, perpauca ad nos venisse documenta, si ipsam historiam ejusque res gestas excipis, unde, uti e. c. ex epistolis domesticis, interior, atque accuratior ejus indolis cognitio veraque aestimatio peti possit.

Testimonia aequalium si quaeris, illa pariter in diversas sibi que oppositas abeunt partes ac scriptorum,



qui post illum vixerunt. CASIMIRI<sup>1)</sup>, uti novimus atque ARAUCIACI vel MARNIXII<sup>2)</sup> de DATHENO iudicium toto coelo differt.

Duae veluti classes scriptorum hinc spectandas se nobis praebent, eorum qui DATHENI *Laudatorum*<sup>3)</sup> et

1) Vide e. g. epistolam ab illo Magistratui Gandavensi missam; GROEN VAN PRINSTERER, l. l. Tom. VI. pag. 616, 617, sqq. CASIMIRUS nuncupat ibi DATHENUM: *mon cher et ayemé ministre* etc.

2) m. Nov. 1580 Aldegon dius ita de eo scripsit: „si ex factis verba sunt aestimanda, vix video cur quicquam εγχις de hoc homine sperari debeat, qui videtur animum ad semel temere susceptam insaniam obfirmasse. Sed nolim tamen haec ita accipi, quasi me certi quid iudicare de eo existimes. Ipse enim arbitrio Domini sui stat et cadit sed certe ejus actiones etiam recentiores vehemens animo fastidium movent.” Ep. sel. Belg. p. 833. (Gr. VAN PR. l. l. pag. 79).

3) Cff. e. g. laudes quibus DATHENUM effert J. ENS, *kort hist. berigt* etc. pag. 467. Magis minusve de DATHENO iudicium mite ac propitium protulisse censendi sunt: BORRIUS l. l. pag. 518, 519, qui talibus de DATHENO utitur verbis: „Doch gelijk hem den tijd in zijn leven heeft vervolgt, so hebben hem zijne wederpartijen noch na zijne dood beschuldigt, dat hij een Arriaen was geworden etc.” Idem scriptor eum lectoribus communicat sequens epigramma in DATHENI mortem:

*Incarnatie op zijn afsterven:*

Door nldICheHt VaLsCh Wert DathenVs besChVlt,

Maer Leeft nV bi God na Langh gedVlt.

Cff. porro: W. TE WATER, *Hist. der Herv. kerk te Gent*, pag. 214 sqq. J. W. TE WATER, l. l. pag. 85. SCHOOCKIUS, *de bonis Eccl.* pag. 464, 643. 'S GRAVEZANDE, l. l. NIEUWENHUYZEN, *Woordenboek voor de Zamenleving, Aanhangel*, in voce. GLASIUS, *Godgeleerd Nederland* in voce. RAHLENBECK, *l'Inquisition et la Ref. à Anvers* pag. 103, 105. GROEN. V. PRINSTERER, l. l. T. IV. pag. 219 ut multos alios mittamus.

*detrectatorum* <sup>1)</sup> agmen ferunt; et quidquid notissimo illi dicto „in medio tutissimus ibis” in veritate indaganda opponi possit, hinc certo certius constat, ut aequos ac veraces nos sistamus iudices, mediam veluti inenudam esse viam.

... Si ejus laudatores et admiratores audis, DATHENUS vir fuit, pius, doctus, zelo insigni ac fere inaequabili pro Dei honore ac ejus Ecclesiae salute imbutus; qui pro verae fidei progagatione omnes, quae ei inerant, animi corporisque vires sacrificavit ac inauditas pro-sus perpressus est aerumnas; qui tamen ab inimicis (quos magna qua polluit auctoritas offendebat) immeritis calumniis ac conviciis, non tantum dum vixit sed etiam diu post mortem, fuerit affectus <sup>2)</sup>.

Si ejus detrectatoribus aurem praebes: „DATHENUS” ajunt „excucullatus (sic!) iste monachus, Zelota fuit pessimi generis, qui male sauo suo contra pontificios furore ac vehementia sua, omnia frena ac vincula rejiciente, cum Ecclesiam tum rempublicam perturbavit

---

1) Cf. ED. VAN REID, I. I. pag. 18, 47. VAN METEREN, *Ned. Hist.*, Lib. IX, pag. 162, 173. BRANDT, I. I. passim. WTENBOGAERT, *kerkelijke historie*, II. p. 52. DE JONGE, *Gedtsche Geschiedenissen* passim. CHALMOT, *Biographisch lexicon* in voce. *Woordenboek der Zamenening* edidit CHOMEL, edere continuavit et absolvit CHALMOTIUS; in voce Datheniana BEAUFORTIUS, *Het leven van Willem I*, IX. 209, X. 323.

2) Hoc judicium si ab omni parte sanum esset ac probandum egregie in nostrum DATHENUM quadraret DIDEROTII dictum: „de laster sterft bij den dood van een gewoon man, maar hij houdt niet op, de asch van een groot man zelfs eeuwen na zijn dood met een dolk om te roeren.”



ac pessum dedit; qui semper magistratui se opposuit; qui arrogantia ac dominandi cupiditate, GREGORII, INNOCENTII, BONIFACII vix cedens, hierarchiam papalem ad antistites Reformatos transferre conatus est; qui auctoritate, qua apud plebem gaudebat, abusus est ut claudicantem ac dissonam suam Psalmorum versionem Ecclesiae obtruderet; qui in summo rerum discrimine patriae causae defuit, ac eum proditorem tum hypocritam agens, religionis tantum veluti laryam ac pallium induit, quo melius ambitiosissimi sui animi consilia protegeret."

Vera ac falsa in utroque judicio mixta esse, dicere vix opus est. Inter criminationes, quas DATHENO plerique objiciunt Historici, haud paucas fuisse, vel plane falsas, vel valde exaggeratas, ipsa ejus vita exponenda, effecisse nobis videmur. Plus semel DATHENI patronos egimus; rectene videant rerum periti. Ne quis tamen nos de hoc viro mitius quam verius judicasse censeat, et hinc quale de eo judicium sit ferendum candide dicemus.

DATHENUS fuit vir, natura haud contemnendis ingenii dotibus praeditus, magis ad agendum quam ad scribendum aptissimus; firma persuasione ac studio pro veritate, quam amplexus erat, ardens; cujus indoli genuina quaedam charitas ac benignitas minime defuit, quae tamen intolerantiâ ac dogmatismi vi, eheu! per longum annorum spatium in ejus animo suppressa et fere suffocata at nunquam prorsus deleta fuit.

Jure meritoque ejus reprehensores in illo carpunt ac improbant, quod ardori suo pro religione quam unice veram duxit, nimium indulgens, ejusdem religi-

onis primum et ultimum praeceptum amoris et charitatis nimis neglexit. Dogmatum, quae propugnavit, veritate fretus toti non succubuit mundo; ad haereticos debellandos divinitus se vocatum esse sensit; sed fratres errantes ac deperditos blanda charitatis voce in rectam revocare viam parum curasse videtur. Jure meritoque iidem reprehensores illi exprobrant, quod nimis quam CHRISTI nuncium deceat, imperandi cupidini indulserit, caeterisque antistitibus exemplum dederit, quod multi ex his perperam sicut secuti!

Fatendum tamen est, omnia vitae ejus agitatae fata ita fuisse comparata, ut huic vitio sponte ansam darent, vel illud alerent. Monachus ille obscurus, cum illustrissimis ac nobilissimis aetatis qua vixit viris, commercium habuit. Principum plus semel fuit legatus; in eorum arcanis consiliis initiatus haud raro iis consiliarius ac administer fuit. In Ecclesia ab initio inde magno cum applausu fuit receptus; insigni quadam veneratione, omnes fere illum prosequerantur; in Synodis quas convocavit, vel ad quas convocatus fuit, honoris sedem sibi oblatam vidit! Quis mortaliū, juxta ipsum collocatus ab omni superbiae labe animum immunem servavisset? Quae tamen omnino ad illud DATHENI vitium explicandum, minime vero ad illud excusandum vel defendendum a nobis scripta et dicta sunt 1)!

Sed falso et immerito nonnulli DATHENUM depingunt tanquam Hypocritam, qui pro religione certans, pravis studiis et politicis tantum rationibus fere

---

1) GOETHALS, I, I.



unice ductus fuerit, ac eo acrius Calvinismum propugnauerit, ut politicis GUILIELMI Principis consiliis se opponeret. Minime gentium! ARAUSIACI demum existitit adversarius, quum hic verae religioni non ea qua par erat, cura ac fervore patrocinari ei videretur. Tunc firmissimae suae persuasionis vocem unice exaudiens, uti in ipsa narratione vidimus, Deo magis quam hominibus obtemperandum esse duxit, ac justum et propositi tenacem virum, qualem poeta depingit, se demonstrare studuit, quem non civium ardor, non vultus instantis tyranni mente quatit solida. Et quid jure meritoque in DATHENO carpendum et condemnandum esse duxerit serior aetas, hoc tamen nomine prae multis aliis ex ipsius aequalibus, laude nobis dignus videtur, qui iisdem prorsus opinionibus imbuti, qualibuscunque rationibus inducti, repugnante conscientiae voce, politicorum obtemperarunt mandatis. Caeterum ex eadem illa firmissima persuasionem pariter explicari possunt, singularis illa aliis persuadendi vis et facultas, et odium sive contemptus, quo politici vel Theologi, qui Orthodoxae Ecclesiae nostrae aversabantur doctrinam, DATHENI nomen, ac memoriam sectati sunt.

DATHENI denique *merita erga reformatam in Neerlandia Ecclesiam* considerantibus, iterum binae illae laudatorum vel admiratorum et detrectatorum classes nobis obversantur, quos iterum in plane diversas partes veluti in oppositas sibi acies discedere videmus.

Fuerunt sane pristinis temporibus haud pauci, quotquot a Calvinismi triumpho unice Ecclesiae Chri-

stianae salutem exspectabant, qui optime eum, cum de Ecclesia Reformata universe tum, ac magis etiam, de Ecclesia nostra Nêerlandica meritum esse statuerunt. Hi DATHENO inter Ecclesiae conditores, quorum memoriam pia veneratione recolat posteritas, haud infimum sed primum locum tribuendum esse censent; quippe qui causam sanae veraeque fidei contra Pontificios et Anabaptistas, nec non contra Lutheranos heroica quadam virtute tuitus sit; qui Ecclesiae libertatem contra Pontificiorum insidias, jure suo vindicaverit, ac Catechesi Palatina in patriam nostram introducenda, sibi perennius monumentum erexerit, quam quod ejus tumulo superstruxerint Elbingenses cives.

Uti autem hi summis laudibus ejus nomen ac memoriam celebrant, sic ab altera eaque opposita parte voces audiuntur, qui hîc de meritis vel laudibus fere nullum sermonem esse clamitent, quandoquidem DATHENUM Ecclesiae multo magis nocuisse quam profuisse luce clarius historia testetur. Nonne perturbator iste (sic nobis occurrunt) inde ab initio larga veluti manu ubivis locorum tumultuum ac rixarum semina sparsit, quae eheu! laetissimam ceperunt segetem! Nonne dextra manu religionis vexillum, sinistra manu seditio- nis facem sursum tollens, proprio Marte ad bellum civile populares suos excitavit? Nonne collegis suis antesig- nanus atque auctor fuit, ut scilicet Evangelii praecones suum esse existimarent rebus politicis se intermiscen- di? Nonne Gandavi et regionum Meridionalium ab Unione defectio illi imprimis est imputanda? Et nonne postquam patriam, cui hoc vulnus inflixerat, reliquis- set, sacri sui muneris oblitus castra, in quibus tam



imprudenter militaverat, deserens, vacillatione sua et haereseos quam de se movit suspicione, totam Ecclesiam agitavit, eique ejusque doctrinae ignominiae notam quandam inussit?

Quaenam et hic nostra sit sententia, partim e narratione, quam dedimus facile effici potest; partim, ad DATHENI merita rite aestumanda, paucis exponere lubet.

Ac sane, quamquam non idem DATHENO encomium canimus, quod jampridem in admiratorum ejus oribus resonavit, sed nostra aetate fere obmutuit; nos tamen maxime ab horum partibus stare, qui DATHENNUM plus uno nomine Ecclesiae reformatae profuisse statuunt, eo lubentius fatemur, quo apertius et luculentius Historia nos docuerit, quam constanter omnibus ingenii dotibus, animi corporisque viribus id egerit, ut Evangelii lucem puriorem propagaret, ac hominum in animis reformationi triumphum pararet. Bene quoque de re Christiana ac Ecclesia nostra meruit, quatenus plus semel Lutheranos inter ac Reformatos coetus dissidia componere, animos sedare pacemque restituere conatus est, nec suis defraudandus est laudibus quod hi conatus optato caruerunt successu. Pro Catechesi Palatina in Ecclesiam nostram introducta, quae cum in Scholis tum in publicis concionibus nunquam suum (cumque sane fructuosum) usum praestare desiit, magnas illi deberi gratias; vel etiam ipsam ejus decantatam ac explosam Psalmorum versionem ac Liturgiam Catechismo Heidelbergensi adjectam, temporum ratione habita, dispersae vel vix stabilitae Ecclesiae haud contemnendum donum ac beneficium fuisse — quis ex ejus severissimis reprehensoribus prorsus negare ausit?

Hujus nostrae Ecclesiae, adhuc in incunabilis versantis conditionem probe, quaeso, attendat, quisquis DATHENI merita rite aestumare velit. Nimirum! quot et quanta hic, sive GUILIELMI principis administri, sive Synodorum socii vel praesidis personam agens, ad stabilendam et constituendam, ordinandam vel gubernandam illam vacillantem Ecclesiam praestiterit, difficile dici et definiri potest. Licet multa ex iis quae in patria nostra commorans peregerit, reprehensione magis quam laude digna nobis videantur, talibus tamen viris Ecclesiae nostrae enascenti quam maxime opus fuit, qualis fuisse DATHENUS ex historia cognoscitur; vigil et alacer, firmae et inconcussae persuasionis, infractae voluntatis, promptus ad agendum, atque ubicunque periculum quoddam immineret statim in auxilium volans, nec unquam frustra arcessitus. Sine talibus defensoribus ac propugnatoribus admodum verendum fuisset, ne Ecclesia, antequam satis firmum nacta esset fundamentum, praevaleantibus suis hostibus succubuisset.

Hierarchiae, quae postea in nostra Ecclesia invaluit, multi DATHENUM auctorem vocarunt, ac non ii sumus qui illum *hierarchicae* indolis fuisse negemus. Et hic tamen attendenda est universa rerum conditio. Aetas, qua DATHENUS vixit, colorem vel faciem prae se fert prae aliis religiosam, adeo ut eodem jure ac eodem sensu, ac Medii aevi Historia, *Sacra* dici mereatur. Religio et religionis causa, cum omnibus humanis studiis praedominarentur, et in politicis quoque magnas egerunt partes. Politici fere semper, ut scopum sibi propositum attingerent, clericorum vel antistitum invocarunt auxilium et auctoritatem, eorumque consiliis



se duci passi sunt. Quid mirum igitur, hos saepius, invitis quoque politicis, sese rebus immiscuisse, ad quas regundas initio erant vocati? Cum Ecclesiam tum rempublicam ex hierarchicis illis studiis plus detrimenti quam emolumenti cepisse testis nobis fuit ipsa, in qua enarranda versati sumus, historia. Longissime tamen a vero et justo aberrant, qui DATHENO unice fere imputandum esse conseant, quod multo magis nota veluti characteristicam illius aetatis dici meretur.

Atque haud scio, an idem illud valcat de dogmatismi ac intolerantiae criminatione, cujus, nec injuria, illum accusarunt reprehensores vel adversarii. Nimio atque immoderato suo ardori, quo in impugnandis Pontificiis et ipse flagravat et aliorum animos inflammavit, pacis consilia longe rejiciens, schismatis quod Septentrionales inter ac Meridionales Neêrlandiae regiones exstitit, non quidem parens vel auctor praecipuus (ut perperam nonnulli statuunt) sed tamen discidium illud paulisper maturavisse existimandus est. Fidei, quae cunctam hominis Christiani vitam regat, summum et caput ad dogmata accurate et anxie definita, suisque cancellis circumscripta, revocans, novarum rixarum semina sparsit, unde post ejus mortem, aliis colla huic jugo subtrahentibus, acerrimae in ipsa Reformatorum familia exstiterunt *Arminianorum* lites.

Quatenus igitur DATHENUS hujus dogmatismi patronus ac promotor fuit, eatenus illum grave nostrae Ecclesiae damnum paravisse vel intulisse minime negamus. Quicumque vero in Historia Ecclesiastica recentiore non hospes et peregrinus est, is quoque ultro

concedet, DATHENI aetate admodum paucos, eosque praeclariores viros, ab hoc vitio immunes fuisse; atque eundem dogmatismum, brevi post instaurata Sacra enatum, mox quoque in Neêrlandicam Ecclesiam irrepisse, donec Pacis Westphalicae tempore, veluti ingravescens morbus, totum Ecclesiae corpus, omnes fere Protestantium familias afficeret.

---

Quis igitur locus DATHENO assignandus est inter tot aetatis, qua vixit, viros, doctrina et pietate praestantes? Haud dubie bene multi inter ejus populares fuerunt, qui illum utroque nomine superaverint. Non iis annumerandus est viris eximiis, qui saeculo quod vivunt superiores, fere omnibus suis aequalibus antecellant, atque elatis quasi suis humeris posteritatem ad altiora ferant. PETRUS DATHENUS, typum atque imaginem suae aetatis ad vivum delineatam refert. Germanus sui temporis, suae patriae filius, omnes fere virtutes sed etiam vitia, quae in his cernuntur, veluti in speculo oculis nostris spectanda praebet. Dogmaticas ejus opiniones easdem fere fuisse, quae apud populum vigeant, supra monuimus; sed eadem sensit, eadem speravit, exspectavit, amavit et credidit, eadem prorsus dictione, quae populo familiaris erat, usus est, et pectus illum disertum fecit. Populi Ecclesiaeque jura adversus clericos et politicos, adversus Papam et Principem, vero et haud fucato ardore propugnavit. Haec, si quid video, una e praecipuis fuit causis, cur



popularium suorum animos commovere, inflammare, sibi que devincire ipsi contigerit; sed vel exinde facile intelligitur, posteritatis iudicium multum detraxisse de laudibus, quibus dignum eum censuerant aequales. GUILIELMI Principis, reipublicae nostrae augustissimi conditoris, MARNIXII, CASSANDRI nomina post longum annorum intervallum, etiam nunc vivunt, vigent et fulgent, et apud prudentiores, majores in diem promerent ac nascuntur laudes <sup>1)</sup>. DATHENUS, temporum ratione et rerum conditione prorsus mutata, in multorem odium vel etiam irrisionem incurrit. Vel sic tamen et hujus nomen nunquam cum contemptu et derisione enunciat aequus et peritus rerum historicarum iudex.

Haud facile e primis Euangelii renovati praeconibus ullus digito indicari poterit, qui ob fata cum prospera tum adversa, ob immensam et plane singularem, quam in aequalium animos exercuit, vim et efficaciam, ob scripta quae reliquit, ob diversitatem denique iudicii quod per temporum decursum, de illo prolatum legimus, omni nostra attentione dignior sit habendus. Quae cum nostra esset persuasio, hanc ejus vitam conscripsimus, minime ut de PETRO DATHENO redivo libellum ederemus Panegyricum, sed ut vita ejus ac insoles, res gestae et merita, accuratius cognita, verius atque aequius aestimentur.

Ceterum si temporum, quae nunc vivimus, rationem

---

1) Cf. *Apologie de Guillaume de Nassau etc.* Bruxelles 1858, et THEOD. JUSTE, *Vie de Marnix de St. Aldegonde*, la Haye 1858.

et conditionem respicimus, spem prae nobis ferre licet, fore ut et hic juvenilis labor haud omni careat utilitatis fructu. Huic nostrae aetati, cum in Scepticismum tum in Dogmatismum pronae, haud pauca consideranda praebet DATHENI exemplum. In memoriam nobis revocat, quot quantaque proavi nostri, firmissima animi persuasione freti ac ducti, perfecerint; quot quantaque perpassi fuerint; quale robur, qualem constantiam animique consolationem in summis hujus vitae periculis, acrumnis, angustiis, ex hac ipsa persuasione hauserint. Ab altera tamen parte, ne scyllam fugientes in Charybdin incidamus, nos hortatur. Cavete! (sic nos alloquitur) ne pro veritate pugnantes, Dogmatismi laqueis et vinculis irretiamini, atque, ut haec nostra aetas hanc Historiae vocem monitricem audiat atque auscultat, ex animo precamur!

TANTUM.



---

T H E S E S.

---

I.

Tyrannica religionis oppressio praecipua causa habenda est, belli LXXX annorum, quod proavi nostri cum Hispanis egerunt.

II.

Optime DATHENI indolem depinxit GROEN VAN PRINSTERER (Archives cet T. IV. p. 219) hisce verbis: „Il y eût en lui moins violence de caractère, » qu'un zèle quelquefois mal dirigé.”

III.

DATHENUS GUILIELMO Principi sese opponens patriae Ecclesiaeque salutem consulere credidit.

IV.

Quamquam DATHENUS multis in rebus est reprehendendus, minime tamen (ut multi volunt) illum rationibus tantum politicis sed sincera animi persuasione ductum fuisse contendimus.

V.

DATHENUS, pactioni cum Parmae duce a<sup>o</sup> 1584 se immiscens, minime proditoris accusandus est.

VI.

DATHENUS laudibile erga Lutheranos tolerantiae exemplum dedit.

VII.

DATHENUM praeter libellum: „*Kurze und wahrhaftige Erzählung*“ cet, itinerarium quoddam scripsisse, cui titulus fuerit „*Entschuldigung der Verjagten Christen*,” quod plerique historici ei tribuunt, probari nequit.

VIII.

DATHENUM Psalmorum suam versionem Ecclesiae Neêrlandicae obtrudisse negamus.

IX.

Ecclesia Reformata, ab initio inde, in Ecclesiae visibilis ac invisibilis distinctione minime sibi constitit.



X.

Perperam SCHENKELIUS, BAURUS, alii, ad infringendum argumentum pro altera captivitate Pauli, quod e Clementis Romani I<sup>e</sup> *Ep. ad Corinthios* § 5, peti solet, verba *τέρμα τῆς δόσεως* de Italia vel Romae urbe interpretanda esse contendunt.

XI.

Epistolas ad *Ephesios*, ad *Colossenses* et ad *Philemonem*, minime *Caesareae* sed *Romae* scriptas esse statuimus.

XII.

Gnosticismi vestigia, quae Critici Epistolis ad *Ephesios*, *Colossenses* et *Philippenses* inesse statuunt, minime e *Valentini* systemate fluxisse contra *Tubingenses* contendimus.

XIII.

*ἀνομαρτήσια* JESU fide effatis Novi Foederis habita accipienda est, at minime historicis argumentis probari potest.

XIV.

Inter argumenta, quae pro religionis Christianae veritate pugnant, argumento quod e Testimonio Spiritus Sancti ducitur, principem locum denegamus; quoniam ad alios hujus religionis veritatis convincendos non valet.

XV.

Libero arbitrio accepto ἀποκατάστασις παντῶν accipi nequit.

XVI.

Vera culpaē notio minime absolvitur iis, quae disputavit Cl. SCHOLTENIUS (*Leer der Herv. kerk*, cet. T. II. pag. 509 coll. 513, 514.)

XVII.

Perperam Cl. HOEKSTRA vocibus συείδησις et conscientia denotari contendit: „een medeweten van hetgeen anderen weten,” — atque inde concludit: „het geweten is een medeweten, alleen bij zamenwoning met anderen mogelijk. (*Vrijheid in verband met zelfbewustheid* etc. pag. 235. sqq.)

XVIII.

Qui inter antistites reformatos invaluit mos orationes S. memoriter coram populo recitandi, non magis probandus est, quam e charta dicendi consuetudo.



## EMENDANDA ET ADDENDA.

Pag.	5. lin. 23. Lithurgicorum	lege : liturgicorum
"	8. " 2. Lithurgische	" Liturgische
"	8. in nota 1852	" 1851
"	9. <i>Sectio Prima</i>	" <i>Prior</i>
"	34. lin. 10. iconoclastae	" iconoclastae
"	35. not. 2. 1571	" 1568
"	38. lin. 11. expectavit	" exspectavit
"	48. Ad Not. I addatur : cf. VAN VLOTEN l. l. pag. 236.	
"	62. lin. 10. controversiis	lege : controversiis
"	72. " 18. Calvinistarum	" calvinistarum
"	72. Not. 2. ROOYAARDS	" ROYAARDS
"	77. lin. 16. diffideret	" diffideret
"	92. Ad not. 2. addatur : pag. 83.	
"	98. not. 2. add. Tom. IV. pag. 511.	
"	100. lin. 17. Princiis	" Principis
"	100. post verba „quique despiciabant cecidit: § 10 : DE DATHENI in <i>Holsatia factis et morte Ellingiae.</i>	
"	103. lin. 13. nonime	lege : nomine
"	104. " 6. persessus	" peressus
"	106. " 25. honorofice	" honorifice
"	109. " 9. slarus	" clarus
"	112. Not. I. sulloge	; sylloge
"	133. " 6. PETRUS	" PETRI
"	129. § 4.	" § 3.
"	133. § 5.	" § 4.
"	132. ad Not. I. add. Voll. IV. Sub n°. 26459.	

Caeteros, quos forsan missos fecimus, errores ipse corrigat B. I.

INDEX

1	1848	1849	1850	1851	1852	1853	1854	1855	1856	1857	1858	1859	1860	1861	1862	1863	1864	1865	1866	1867	1868	1869	1870	1871	1872	1873	1874	1875	1876	1877	1878	1879	1880	1881	1882	1883	1884	1885	1886	1887	1888	1889	1890	1891	1892	1893	1894	1895	1896	1897	1898	1899	1900
---	------	------	------	------	------	------	------	------	------	------	------	------	------	------	------	------	------	------	------	------	------	------	------	------	------	------	------	------	------	------	------	------	------	------	------	------	------	------	------	------	------	------	------	------	------	------	------	------	------	------	------	------	------